LAUDES ROMAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE ROSTOCHIENSI
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

Wilhelm
GUILELMUS GERNENTZ
MEGALOPOLITANUS

ROSTOCHII
TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS
MDCCCCXVIII

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulit
Rudolfus Helm, P. P. O.

Examen rigorosum habitum est die XV. m. Quintilis a. 1914.

Dissertatio orta e scripto ab ordine philosophorum die XXVIII m. Febr. a. 1914 coronato sumptu Universitatis Rostochiensis impressa est. Quod autem auctor bello interfuerat, ipso anno 1914 maxima ex parte typis expressa ante a. 1919 edi non potuit.

Rudolfo Helm

sacrum

Index.

Praeter hymnos deorum, laudationes funebres, encomia in reges vel viros illustrissimos facta etiam permulti panegyrici ex arte rhetorica orti inveniuntur, quibus urbes quaedam laudibus efferuntur. Atque iam Gorgiae vel sophistarum antiquiorum temporibus ut illa encomia ita urbium quoque laudes in scholis declamatoriis excultae et ad certa praecepta expressae videntur esse[1]). In Isocratis certe panegyrico Atheniensi (or. IV), quae exstat prima laus urbis ad artem rhetoricam revocata, eadem divisio eaedemque summatim partes inveniuntur, quas in orationibus secundae, quae dicitur, aetatis sophisticae legimus, atque Athenae similiter celebrantur ac rhetores recentiores urbes laudandas esse docent. Quae praecepta scholastica etsi inferiore aetate singillatim accuratius constituta et exposita esse non negamus, tamen universe iam ad certas leges redacta videntur fuisse, cum Romani primum ad haec studia declamatoria se contulerunt. Itaque mirum non est, quod et poetae et scriptores Latini, cum Romam laudant, ipsi quoque plus minusve ex his de urbibus laudandis praeceptis Graecorum pendent. Hoc collatione laudum Romae, quae exstant apud scriptores poetasque, et legum scholasticarum demonstrare in animo habeo.

Inveniuntur enim talia praecepta apud auctorem artis rhetoricae falso Dionysio Halicarnassensi vindicatae[2]) et in incerti auc-

---

[1]) Sophistarum argumenta ad gloriam Athenarum prolata magna ex parte iam quinto saeculo in tragoediis et orationibus funebribus offendi ostendit Otto Schroeder: De laudibus Athenarum a poetis tragicis et ab oratoribus epidicticis excultis, diss. Gotting. 1914.

[2]) *Τέχνη περὶ τῶν πανηγυρικῶν* ed. Usener-Rademacher vol. II 1, p. 255 sq.

toris excerptis rhetoricis[1]), commemorantur a Quintiliano[2]), Hermogene[3]); nemo tamen dignior est, qui hic afferatur, quam Menander[4]), qui rhetor cum de terrarum, principum, deorum laudibus tum de urbium panegyricis copiose disserit[5]).

Sed cum in laudibus urbium non solum praedicatio urbis ipsius verum etiam encomium incolarum magni sit momenti, praeter ea praecepta, quae ad panegyricum illius spectant, etiam communes de

---

1) Excerpta rhetorica e codice Parisino 7530 edita, ed. C. Halm: Rhetores Latini minores (1863) p. 587.

2) Inst. or. III 7, 26; 27.

3) Hermogenis praeexercitamenta: *περὶ ἐγκωμίου*, (Rabe: Rhetores Graeci VI p. 14 sq.).

4) *Περὶ ἐπιδεικτικῶν*, (Spengel: Rhetores Graeci, vol. III p. 346 sqq.).

5) Haec praecepta rhetorica sub nomine Menandri tradita non uni scriptori attribuenda esse satis constat. Utrum autem Carolum Bursian (Der Rhetor Menander und seine Schriften, Abhdlg. d. bayr. Ak., vol. XVI 1882, p. 23) sequentes priorem partem Menandro ipsi, posteriorem Pseudomenandro tribuamus, an priorem incerto auctori, posteriorem autem Menandro deberi censeamus, id quod demonstrare studet Guilelmus Nitsche (Der Rhetor Menandros und die Scholien zu Demosthenes, Prg. Berol. 1883), hoc ad quaestionem nihil fere valet. Sed magni interest illos viros doctos ostendisse utriusque rhetoris tractatum non ante annum p. Chr. n. 270 componi potuisse. Quae cum ita sint, dixerit quis, cum ante Menandri aetatem nullae tam accuratae *περὶ ἐπιδεικτικῶν πόλεων* leges inveniantur, Menandrum ex orationibus Aristidis ipsius, quem saepe in scriptis suis rhetoricis citet (cf. III 345, 19; 21; 349, 11; 24; 350, 10; 360, 5, ubi Aristidis *ἐγκώμιον Ῥώμης* ipsum affertur, 384, 16; 418, 10), praecepta sua composuisse (cf. Baumgartium: Aelius Aristides als Repräsentant der sophistischen Rhetorik des 2. Jahrhunderts der Kaiserzeit, Leipzig 1874, p. 42: „Menander hat ... offenbar nach Aristidischen Mustern gearbeitet und die dort angewandte Praxis zur Theorie erhoben“); itaque huius rhetoris praecepta cum urbium laudibus priorum scriptorum conferenda non esse. At Menander, etsi nonnullis locis Aristidis orationes significat, tamen certe plurima praecepta non ipse invenit, sed regulas scholae declamatoriae tradit, quae longa progressione effectae (cf. Volkmannum: Die Rhetorik und Metrik der Griechen und Römer[3], 1901, p. 35) ad Gorgiam et sophistas ipsos revocandae sunt. (Similiter Eduardus Norden: Ein Panegyricus auf Augustus in Vergils Aeneis, mus. Rhen. LIV (1899), p. 467 *λόγον βασιλικόν*, quem Menander III 368 sq. profert, Pindari aetate originem habere docet.)

Ut autem de Menandro ita de aliis quoque rhetoribus recentioribus, quos componemus cum laudatoribus Romae, qui permultis annis ante eos vixerunt, iudicandum est: praeexercitamenta Aphthonii quoque et Nicolai, qui quarto vel quinto p. Chr. n. saeculo scripserunt, reddunt praecepta, quae magna ex parte iam in Aristotelis et Ciceronis scriptis legimus (cf. Georgium Reichel: Quaestiones progymnasmaticae, diss. Lips. 1909, p. 90).

laudibus hominum leges afferre non alienum videtur esse. Atque praeter Menandrum, qui in urbium laudandarum praeceptis ipsis hunc encomii locum permultis commendat verbis[1]), secundo loco respicienda sunt praecepta scholastica ad laudes hominum pertinentia, quae tradiderunt Aristoteles[2]), Anaximenes[3]), auctor ad Herennium[4]), Cicero[5]), Quintilianus[6]), Theon[7]), Hermogenes[8]), Emporius[9]), Priscianus[10]), Aphthonius[11]), Nicolaus[12]) alii. Quibus omnibus rhetoribus gravior est eiusdem Menandri[13]) *λόγος βασιλικός*, in quo libro saepe eaedem leges proferuntur, quas in eis Romae laudibus, quibus urbs domina et regina imperii Romani celebratur, adhibitas esse cognoscemus.

Quae rhetorum de laudibus praecepta quid in encomiis Romae valuerint perscrutantibus nobis inprimis afferendae sunt magnae

---

1) cf. Menand. III 346, 27: *Οἱ τοίνυν περὶ τὰς πόλεις ἔπαινοι μικτοί εἰσιν ἀπὸ κεφαλαίων τῶν περὶ χώρας εἰρημένων καὶ τῶν περὶ ἀνθρώπους.*

2) Qui rhetor art. rhet. I, 9 de materia et de artibus laudationum, art. rhet. III 12 sq. de collatione disserit.

3) I, 175, 15—188, 15; 225, 6—228, 21 (Rh. Gr. I. Spengel), ubi schema quoddam dispositionis generis encomiastici affertur.

4) lib. III 3, 6.

5) De orat. II 345—347; de inv. II 177—178.

6) Inst. orat. III 7: „de laude et vituperatione".

7) II 109 sq.: *περὶ ἐγκωμίου καὶ ψόγου* (Rh. Gr. II. Sp.).

8) Progymnasmata 7 (Rh. Gr. VI 14, 25 sq.): *περὶ ἐγκωμίου.*

9) „Praeceptum demonstrativae materiae" (p. 567 sq., Halm).

10) De praeexercit. rhetor. 7: „de laude" (p. 556 sq., Halm).

11) II 35 sq.: „*ὅρος ἐγκωμίου*" (Rh. Gr. II. Sp.).

12) Rh. gr. XI, Felten, Lps. 1913, p. 47, 4 sq.

13) Menander III 368 sq. Cuius libri interpretatione rationem generis epidictici accurate disponit Theodorus C. Burgeß: Epideictic Literature, Studies in classical philology, Chicago 1902, p. 113—142.

Quorum omnium rhetorum praecepta quantopere scriptores et poetae in laudationum ipsarum compositione secuti sint, ostenderunt Brunsius: Das literarische Porträt der Griechen, Berlin 1896, ubi encomia Alcibiadis, Cyri, Euagorae, Agesilai explicantur, Fr. Leo: Die griech.-röm. Biographie nach ihrer literarischen Form, Leipzig 1901; hic una cum interpretatione Isocratis, Xenophontis, scriptorum Alexandrinorum et Romanorum laudationum tota laudandi quaestio tractatur, Georgius Fraustadt: Encomiorum in litteris Graecis usque ad Romanam aetatem historia, diss. Lips. 1909; qui vir doctus historiam generis encomiastici a primordiis usque ad Ciceronis tempora profert.

illae urbis laudationes Aristidis, Rutili, Vergili, Claudiani, quae ad formam panegyrici ipsius diligenter compositae sunt; neque vero neglegendae sunt breviores digressiones, quibus scriptores occasione data Romam celebrant, et epitheta ad laudes urbis pertinentia, quae ipsa quoque in scholis usitata fuisse apparet ex his Hermogenis verbis, quibus *ἔπαινος* et *ἐγκώμιον* discernuntur (p. 15, 6): *ἐπαίνου δὲ διαφέρει τὸ ἐγκώμιον, ὅτι ὁ μὲν ἔπαινος καὶ ἐν βραχεῖ γένοιτ' ἄν, οἷον ,Σωκράτης σοφός', τὸ δὲ ἐγκώμιον ἐν μακροτέρᾳ διεξόδῳ*[1]).

Maximi autem momenti in hac quaestione tractanda est notissimum illud Aristidis *ἐγκώμιον Ῥώμης*, quod plane rhetorum praecepta exprimit[2]). Atque quemadmodum in universis Aristidis orationibus nullam sententiam a rhetore ipso inventam esse contenditur[3]), ita etiam ampliores Romae laudationes totas fere arti rhetoricae deberi censemus; neque a vero videmur aberrare, si cum eis scriptorum vel poetarum encomii locis, quos ex schola declamatoria sumptos esse rhetorum, qui exstant, praeceptis iam non ostendi potest, similes Aristidis sententias componamus et ex eiusmodi consensu originem declamatoriam concludamus. Sed praeter Aristidis encomium et nonnullos scriptorum panegyricorum locos, quos rhetorum praeceptis maxime eruditos esse consentaneum est[4]), etiam ratio habenda est permultorum poetarum et rerum scriptorum, quos ab Augusti temporibus magis magisque ad rhetoricam accessisse constat[5]), quamquam fieri potuit, ut hic et ille suo Marte novum laudis locum inveniret.

---

[1]) Similia explicat Nicolaus, p. 49, 4: *ἔπαινος μὲν γάρ ἐστι τὸ δι' ὀλίγων κατασκευαζόμενον, οἷον ἡ ἑνὸς ἀγαθοῦ μνήμη, ἐγκώμιον δὲ τὸ διὰ πασῶν τῶν ἀρετῶν καὶ διὰ πάντων τῶν τοῦ ἐπαινουμένου πλεονεκτημάτων ἐργασθέν.*

[2]) Quod ostendit Josephus Mesk: Der Aufbau der XXVI. Rede des Aelius Aristides. Progr. Vindob. 1909.

[3]) Arminius Baumgart l. c. p. 39: „Man kann ohne Übertreibung behaupten, daß in den gesamten 55 erhaltenen Reden des Aristides auch nicht ein einziger selbständiger Gedanke enthalten ist."

[4]) cf. O. Kehding: De panegyricis Latinis capita quattuor, diss. Marpurg. 1899, p. 4—76.

[5]) Poetae et scriptores quantopere ex arte pendeant, permulti viri docti demonstraverunt, ex quibus afferantur: H. Peter, Die geschichtliche Literatur

Sed ad rem ipsam aggredientes quaestionem tractabimus secundum eum ordinem, quem praecipit Menander III 346: *πῶς χρὴ πόλεις ἐπαινεῖν*. Dicit enim urbem laudandam esse primum *ἀπὸ θέσεως*, deinde *ἀπὸ γένους*, tum *ἀπὸ ἐπιτηδεύσεων*, denique *ἀπὸ πράξεων*. Cum autem in encomiis Romae primum fere locum obtineant pulchritudo et magnitudo urbis eiusque aedificiorum, opus est parti, quae est *ἀπὸ γένους*, addere nonnulla de loco *ἀπὸ σχήματος* vel *κόσμου τῆς πόλεως*, quem cum Menander minorem ratus nisi in epilogo tractari nolit[1]), Dionysius Hal. art. rhet. 1, 3 (apud quem locus *ἀπὸ ἐπιτηδευμάτων* deest) ad reliquos tres locos, quos commemoravimus, quartum in laudatione urbis adhibendum commendat. Postrema denique parte, quae est *περὶ πράξεων* urbis laudandae, accuratius nobis disserendum est, id quod in usitatis urbium laudationibus non invenimus, de eo, quod summum ac celeberrimum Romani effecerunt, hoc est de imperio Romano.

I.
De laudibus urbis.

Omnes fere panegyrici scriptores in laudis prooemio praemittunt verba sua magnitudini urbis celebrandae vel praeclaris facinoribus laudandis satisfacere non posse. Quem locum rhetoricum iam oratores Graecorum saepe adhibuisse constat. Legimus enim apud Isocratem or. IV 82[2]): *οὕτως ἄνδρας ἀγαθοὺς*

Urbs non satis pro dignitate laudari potest.

über die römische Kaiserzeit bis Theodosius I. und ihre Quellen. 2 voll. Lips. 1897.

Ed. Norden: Die antike Kunstprosa, vol. II, p. 891 sq.

C. Brueck: De Ovidio scholasticarum declamationum imitatore, diss. Giss. 1909.

R. Smith: De arte rhetorica in L. A. Senecae tragoediis perspicua, diss. Lips. 1885.

H. Lohrisch: De Papinii Stati silvarum poetae studiis rhetoricis, diss. Hal. Sax. 1905.

1) Menander III 386, 21: *μετὰ τὴν σύγκρισιν ἥξεις ἐπὶ τοὺς ἐπιλόγους, ἐν οἷς διαγράψεις αὐτὸ τὸ σχῆμα τῆς πόλεως.*

2) cf. ibidem IV 4: *ἐγὼ δ' ἢν μὴ καὶ τοῦ πράγματος ἀξίως εἴπω,*

ἀπέδειξαν... ὥστε μηδένα πώποτε δυνηθῆναι περὶ αὐτῶν μήτε τῶν ποιητῶν μήτε τῶν σοφιστῶν ἀ ξ ί ω ς τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων εἰπεῖν...[1])

Idem praeceptum etiam rhetores dant, dicit autem auct. ad. Her. III 6, 11: „vereri nos, ut illius facta verbis consequi possimus... ipsa facta omnium laudatorum eloquentiam anteire", similiter Menander III 369, 11: (in prooemio oratori dicendum est) ὅτι μόλις ἂν καὶ αὗται (sc. αἱ Μοῦσαι) π ρ ὸ ς ἀ ξ ί α ν τῆς ὑποθέσεως εἰπεῖν ἐδυνήθησαν, ὅμως δὲ οὐδὲν κωλύει καὶ ἡμᾶς ἐγχειρῆσαι πρὸς δύναμιν[2]).

Quae exempla scholastica sequuntur prooemia poetarum et scriptorum, qui se magnitudinem Romae vel imperii Romani satis pro dignitate laudare posse negant. Atque hunc in modum scribit Aristides or. XXVI 2: ὅστις π α ρ ι σ ώ σ ε τ α ι[3]) τοσῷδε ὄγκῳ πόλεως, (3) ἀλλ', ὦ ἄνδρες, οἱ τῆς μεγάλης ἔνοικοι πόλεως... συνάρασθε τῷ τ ο λ μ ή σ α ν τ ι, ἵνα τῶν ἐγκωμίων πρῶτον ἀρχόμενοι καὶ τοῦτο ἔχωμεν λέγειν, ὅτι εὐθὺς μὲν τοιούτοις ἀνδράσιν ἐντυχεῖν ἦν, ὑφ' ὧν τις... ἐμμελής τε καὶ δεξιὸς εὐθὺς γίγνεται καὶ δ ύ ν α τ α ι λ έ γ ε ι ν... π ε ρ ὶ τ ῶ ν μ ε ι ζ ό ν ω ν ἢ κ α τ' αὐτόν κτλ., ... (6) περὶ ἧς μὴ ὅτι εἰπεῖν κ α τ ὰ τ ὴ ν ἀ ξ ί α ν[4]) ἐστίν, ἀλλ' ο ὐ δ' ἰ δ ε ῖ ν ἀ ξ ί ω ς α ὐ τ ή ν et similiter orationis finem facit (108): Ἀλλὰ τὸ ἐξ ἀρχῆς ἀγώνισμα παντὸς μεῖζον, π α ρ ι σ ῶ σ α ι τῷ τῆς ἀρχῆς μ ε γ έ θ ε ι τ ὸ ν λ ό γ ο ν, κ α ὶ σ χ ε δ ὸ ν τ ο ῦ ἴ σ ο υ χ ρ ό ν ο υ δ ε ό μ ε ν ο ν ὁ σ ό σ π ε ρ ὁ τ ῆ ς ἀ ρ χ ῆ ς. Multum autem temporis opus esse[5]) ad tantam Romae magnitudinem digne praedicandam dicit etiam Athenaeus I 20 B: ἐ π ι λ ε ί π ο ι δ' ἄ ν μ ε οὐχ ἡ μ έ ρ α μία ἐξαριθμούμενον τὰς ἐν τῇ Ῥω-

---

[1]) Idem dicit similiter (IV, 13): χαλεπόν ἐστιν ἴ σ ο υ ς τοὺς λόγους τ ῷ μ ε γ έ θ ε ι τῶν ἔργων ἐξευρεῖν.

[2]) Idem III 369, 2: οὐ μόνον δὲ ἐπὶ τοῦ βασιλικοῦ τοῦτο εὕροις ἄν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πάσης ἐπιδεικτικῆς ὑποθέσεως.

[3]) Conferas Vollmerum ad Stat. silv. II 2, 41: „aequare (= παρισοῦσθαι) bezeichnet das Ideal der rhetorischen descriptio".

[4]) Baumgart. l. c. p. 56: „Immer wiederkehrend (bei Aristides) sind Ausdrücke wie: εἰπεῖν ἀξίως, ἴσους τῷ μεγέθει τῶν ἔργων τοὺς λόγους ποιεῖν etc.

[5]) Quam laudandi rationem ipsam quoque ex schola petitam esse ostenditur his, quos invenimus, rhetorum locis Lysiae or. 2, 1... ἐπειδὴ δὲ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁ π ᾶ ς χ ρ ό ν ο ς ο ὐ χ ἱ κ α ν ὸ ς λ ό γ ο ν ἴ σ ο ν παρασκευάσαι τοῖς τούτων ἔργοις, Panegyr. Lat. VI 7, 1: „Dies me ante deficiet quam oratio, si omnia patris tui facta vel hac brevitate percurram,

μαίων οὐρανοπόλει ἀριθμουμένας πόλεις, ἀλλὰ πᾶσαι αἱ κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν διὰ τὸ πλῆθος.

Nec aliter vocem tenuiorem esse quam ut Romae laudes apte canat, exprimunt et Propertius in fine celeberrimi illius Romae encomii lib. IV 1, 57—60:

„moenia namque pio coner disponere versu:
ei mihi quod nostro est parvus in ore sonus!
sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
fluxerit, hoc patriae serviet omne meae“,

et Panegyr. Lat. XII 1, 3: „...de recuperata urbe imperioque Romano... et ipse aliquid coner effari, ut inter tantos sonitus disertorum mea quoque vox tenuis exaudita videatur“. Similes denique sunt hi poetarum scriptorumque loci: Panegyr. Lat. IV 3, 3: „Quid dignum magnitudine tua (sc. Romae) excogitari ac dici potest, in cuius laudibus id maximum non est quod in terrarum orbe primarium est?“ [1]) Claudian. Stilich. III 131—133: (Roma)

„qua nihil in terris complectitur altius aether,
cuius nec spatium visus nec corda decorem
nec laudem vox ulla capit“ [2]).

Dionys. Hal. antiq. Rom. I 2, 1: *τὸ κάλλος τῶν πράξεων* (sc. Romae) *ἃς οὔπω κεκόσμηκε λόγος οὐδεὶς ἀξίως ...* [3]).

Sed hactenus de Romae laudationum prooemiis.

Iulian. or. I 41 A (ubi Antiochia praedicatur): „*λιμένας .... στοὰς καὶ κρήνας ... τίς ἂν ἀπαριθμήσαιτο; ἐπιλείψει με τούτων ἕκαστον ὁ χρόνος διηγούμενον.*

[1]) cf. Cassiod. var. VII 6, 3 (ed. Mommsen, Monum. Germ. hist. auct. antiquiss. tom. XII Berol. 1894), ubi agitur de laude aquae Virginis: „Quis possit talia sermonibus idoneis explicare?“

[2]) Magnitudinem urbis neminem *ἀξίως* praedicare posse Himerius quoque eloquitur in laude Constantinopolis (or. 7, 7): *Τὸ δὲ σὸν μέγεθος ἢ κάλλος τίς ἂν ἢ μεγέθει λόγων ἢ κάλλει κατὰ τὴν ἀξίαν ὑμνήσειεν;* et auct. urb. Constant. nov. Rom. praef. (p. 133, 14 Riese geogr. lat. min.): „admirantis intentio ... amplitudine tantae felicitatis attonita fatetur huic urbi nec laudem sufficere nec amorem.“

[3]) cf. Strabo. VI 4, 1 (vol. I, p, 457, 3 Kramer); qui Italiam effert hisce verbis: *ὕλης τὲ καὶ τροφῆς ἀνθρώποις τε καὶ βοσκήμασιν οὐδ' ἀξίως ἐστὶν εἰπεῖν τὴν ἀφθονίαν.*

1. De natura et positione urbis.

Iam ut nobis proposuimus, disseramus de loco qui est ἀπὸ θέσεως. A quo primum urbem celebrandam esse rhetores docent: Dion. Hal. art. rhet. 1, 3 (p. 257, 6): Ἐφεξῆς ἐπιέναι χρὴ τὸν ἔπαινον τῆς πόλεως ... περὶ θέσεως αὐτῆς. Menander autem, quid sub voce θέσεως in laudatione urbis audiendum sit, explicat his verbis (III 344, 19): θέσιν τοίνυν χώρας δοκιμάζομέν τε καὶ κρίνομεν ὅπως κεῖται πρὸς γῆν ἢ πρὸς θάλατταν, ἢ πρὸς οὐρανὸν κτλ., atque idem uberius (347, 2): θέσιν πόλεως δοκιμάζομεν κατὰ τοὺς ... τόπους ... ἢ πρὸς οὐρανὸν καὶ ὥρας, ἢ πρὸς ἤπειρον, ἢ πρὸς θάλατταν ... ἢ πρὸς τὰς περιοίκους χώρας καὶ πόλεις, ἢ πρὸς ὄρη, ἢ πρὸς πεδία. τὸ ἄνυδρον εἶναι τὴν πόλιν ἢ ποταμοῖς περιειλῆφθαι .... et praecipit, ut hoc laudis loco primum de caeli salubritate et fertilitate tum de positione loci sermo fiat (III 347, 12): τὴν θέσιν πρῶτον ἔφην κατὰ τὸν οὐρανὸν καὶ κατὰ τὰς ὥρας δεῖν θεωρεῖν. θεωρεῖται δὲ ἢ κατὰ ψύξιν ἢ κατὰ θάλψιν ἢ κατ' ἀχλὺν ἢ κατὰ καθαρότητα ἢ κατὰ εὐαρμοστίαν πασῶν τῶν ὡρῶν, similiter etiam Quintilian. inst. or. III 7, 27: „est et locorum (laus), qualis Siciliae apud Ciceronem, in quibus similiter speciem et utilitatem intuemur, speciem maritimis, planis, amoenis, utilitatem salubribus, fertilibus".

De salubritate caeli. Menandrum igitur secuti priore huius capitis parte de eis scriptorum poetarumque locis agamus, quibus salubritas Romae urbis praedicatur. Quamquam autem ab hoc loco Romam nemo fere veris laudibus ornare poterat, quod quanta intemperies et pestilentia caeli in collibus Romae esset inter omnes constabat[1]), tamen a laudatoribus urbis, quod urbem etiam a salubritate celebrandam esse a rhetoribus praecipiebatur (cf. Menand. III 431, 2: (ἐπαινέσεις τὴν πόλιν) ἀπὸ τῶν ἀέρων, 383, 17: ἐν δὲ τῷ κατὰ τοὺς ἀέρας (ἐκφράσεις), ὅτι ὑγιεινῶς ἔχει (ὁ τόπος)), nonnumquam colles urbis saluberrimos esse scriptum est. Atque Cicero in laude conditoris urbis (de rep. II 2, 4 sq.), quae quantopere ex rhetorica arte pendeat, infra (p. 10 sq.) demonstrabitur,

[1]) Schwegler: Röm. Geschichte I p. 454, 7. Vide etiam haec verba Friedlaenderi, Sittengeschichte I 39: „Die Ungesundheit der Lage Roms ist weltbekannt" et Mommseni: Röm. Geschichte I^{8} p. 45; id quod Romani ipsi

Romuli sapientiam hac quoque re efferre studet, quod „locum delegit et fontibus abundantem et in regione pestilenti salubrem; colles enim sunt, qui cum perflantur ipsi, tum adferunt umbram vallibus“ (de rep. II 11). Locum autem, qui undique aere pestilenti atque vitioso circumdatus est, ipsum saluberrimum esse nisi artis rhetoricae gratia contendi non potest. Neque minus rhetorice Livius Camillum, cum Romanis persuadere studeat, ne Veios transeant, salubritatem urbis significantem fingit (V 54, 4): „Non sine causa dii hominesque hunc urbi condendae locum elegerunt, saluberrimos colles“.

Tum aliam sententiam huius *ἀπὸ φύσεως* loci nonnumquam a laudatoribus Romae adhibitam esse invenimus. Secundum enim hoc rhetorum praeceptum, quod tradit Menander III 348, 3: *αὐτῶν τῶν ὡρῶν αἱ μὲν ἐπὶ τὸ μᾶλλον θεωροῦνται, αἱ δὲ ἐπὶ τὸ ἔλαττον .... ἔαρ δὲ καὶ μετόπωρον ἐπὶ τὸ μᾶλλον· μᾶλλον γὰρ ἰσχύειν τὰς ὥρας ταύτας ἐπαίνου ἄξιον*[1]), poetae non semel ver Romae verbis efferunt haud immemores scholae declamatoriae, in qua tales veris laudationes usitatae erant[2]). De sempiterno vere Romano.

Atque primum afferimus Cl. Rutilium Namatianum[3]), cuius magnum Romae encomium omnium maxime secundum praecepta rhetorica factum esse infra (p. 72 sq.) cognoscemus; qui poeta brevem descriptionem veris Romani profert (I 113/114):

„Vere tuo numquam mulceri desinit annus
deliciasque tuas victa tuetur hiems[4])“

(similiter Menander III 348, 7: *ἐν δὲ τῷ περὶ τῶν ὡρῶν (λέγε) ... εἰ χρόνον ὅλον μένει ἀκήρατα (τὸ ἔαρ), εἰ πλεῖστον τοῦ ἔτους).*

---

non negaverunt, cf. Frontin. de aq. 88: „causae gravioris caeli, quibus apud veteres urbis infamis aer fuit, sunt remotae.“

[1]) cf. Hermog. p. 22, 14: *ἐκφράσεις ... χρόνων οἷον ... ἔαρος, θέρους,* similia Aphthonius II 36, 3 et Theon II 118, 20.

[2]) Erwinus Rohde: Der griechische Roman und seine Vorläufer 1876, p. 335 citat Libanii (IV p. 1051 f) *ἐγκώμιον ἔαρος*, Himerii (or. III 3) laudem veris, Procopii Gaz. *περὶ ἔαρος* (Bekker anecd. 143, 24), Themistii (or. 26 p. 329 D) *ἦρος ἐπαίνους*, alias nonnullas veris descriptiones, quibus annectamus Claudiani veris Siculi laudem (de rapt. Proserp. II 71 sq.).

[3]) ed. G. Heidrich, Vindob. et Lips. 1912.

[4]) Non solum hos versus sed etiam praecedentes duos:
111. „Quid loquar inclusas inter laquearia silvas
vernula qua vario carmine ludit avis?“

Ex eodem fonte rhetorico nescio an videatur hausisse multis annis ante eum Vergilius in clarissima illa Italiae laude, cum canit (Georg. II 149):

„hic ver adsiduum atque alienis mensibus aestas;
bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos."

Neque hoc argumentum neglegit Ovidius, qui quod saepissime artem rhetoricam sequitur, „novae poesis rhetoricae Romanae princeps et signifer" iure a Friderico Leo[1]) appellatur; cum enim frigus Ponticum vituperat, simul patriae delicias enumerat (ex Pont. IIII, 11):

„Tu neque ver sentis cinctum florente corona,
tu neque messorum corpora nuda vides,
nec tibi pampineas autumnus porrigit uvas:
(cuncta sed immodicum tempora frigus habent)",

idemque in praeclara illa veris Romani descriptione (tr. III 12), quam citare longum videtur esse, patriae bona ante oculos habet.

De opportunitate positionis urbis.

Magis etiam quam a caeli salubritate scriptores, qui hoc περὶ θέσεως loco rhetorico utuntur, Romam laudant a positione loci. Quomodo autem urbs ab hac celebranda sit, cognoscimus ex his Menandri verbis (III 348, 15): περὶ μὲν τῆς θέσεως τῆς κατ' οὐρανὸν καὶ ὥρας ταῦτα, ἐξ ὧν ἄν τις ἐγκωμιάζοι πόλιν ... ἦν δὲ δεύτερον καὶ τρίτον στοιχεῖον, ὅπως κεῖται πρὸς ἤπειρον, ὅπως πρὸς θάλασσαν. Sequentibus deinde sententiis rhetor accurate praecipit, quomodo urbs a mari remota, quomodo urbs mari proxima praedicanda sit. Quae praecepta fere omnia adhibita reperimus in Ciceronis magno Romuli encomio. Atque incipit ille laudem ἀπὸ θέσεως urbis his verbis (rep. II 3, 5): „Urbi autem locum ... incredibili opportunitate delegit. Neque enim ad mare admovit, quod ei fuit illa manu copiisque facillimum, ut in agros Rutulorum Aboriginumque procederet (cf. Menand. 349, 3: Ἑξῆς ἦν στοιχεῖα θέσεως, ὅπως ἔχει

Rutilium ex eadem veris descriptione scholastica deprompsisse censemus, cum similem laudationem invenerimus apud Dionem Chrys. or. XXXV 21: εἰσὶ δὲ λειμῶνες αὐτόθι πάγκαλοι καὶ φύσις ἀνθῶν τε καὶ δένδρων παρεχόντων τὴν σκιὰν ἄνωθεν ἐξ ὕψους ... οἵ τε ὄρνιθες κατᾴδουσιν ... πνεῦμα τε ἀεὶ μέτριον διαρρεῖ, καὶ τῶν ἀέρων ἡ κρᾶσις ὁμοία διὰ παντός, μάλιστα δὲ ἔοικεν ἀρχομένῳ θέρει.

[1]) Index schol. Gottingae sem. hib. 1892/93 p. 10.

πρὸς τὴν περιοικίδα χώραν, καὶ ὅπως πρὸς τὰς ἀστυγείτονας χώρας) aut in ostio Tiberino ... urbem ipse conderet, sed hoc vir excellenti providentia sensit ac vidit, non esse opportunissimos situs maritimos ... primum quod essent urbes maritimae non solum multis periculis oppositae, sed etiam caecis." Similiter autem urbes terrestres laude afficit Menander III 345, 9: *δεῖ τοὺς περὶ χώραν ἐπαίνους ποιεῖσθαι. οἷον εἰ μεσόγειον ἐπαινοίης .... διότι οἱ καρποὶ οἱ γνησιώτεροι ἀπὸ τῆς γῆς ἅτ' οὐ κλυζομένης καὶ τῶν ἀπὸ τῆς θαλάσσης ταραχῶν ἀπεχούσης.* Et secundum eiusdem leges (III 348, 19): *ἐὰν μὲν τοίνυν ἠπειρωτικὴ ᾖ καὶ πλεῖστον ἀπέχῃ ἀπὸ τῆς θαλάσσης, τὴν ἀπὸ τῆς ἀποχωρήσεως ἀσφάλειαν ἐγκωμιάσεις ... καὶ πάντα ἐρεῖς, ὅσα ἐν τῷ ἑτέρῳ κακά* Cicero paragrapho sequenti permultis verbis effert terram a repentinis hostium incursionibus multo tutiorem esse quam urbem ad mare sitam, quae ab hostibus maritimis semper infestetur et praeterea periculis corruptelae et demutationis morum pateat, id quod exemplo Carthaginiensium, Corinthiorum, Graecorum demonstratur. Quod autem in fine huius urbium maritimarum vituperationis legimus (9): „Sed tamen in his vitiis inest illa magna commoditas et, quod ubique genitum est, ut ad eam urbem, quam incolas, possit adnare, et rursus ut id, quod agri efferant sui, quascumque velint in terras, portare possint ac mittere" (quibus verbis respondent haec praecepta Menand. III 348, 25: *ἐὰν δὲ ἡ πόλις θαλαττία ᾖ ... ἐρεῖς ... ὅσα ἀγαθὰ ἀπὸ θαλάττης ἀριθμήσῃ*), Cicero hoc scribit, ut probet Romam per Tiberim his quoque commoditatibus urbis maritimae frui; quae sententia non minus rhetorica est quam priores: componenda enim sunt verba Ciceronis 10: „Qui potuit igitur divinius et utilitates complecti maritimas Romulus et vitia vitare, quam quod urbem perennis amnis[1]) ... posuit in ripa? quo posset urbs et accipere a mari, quo egeret et reddere quo redundaret .. eqs." cum eodem rhetorum praecepto, quod exstat apud Menandrum III 348, 31: *ἐὰν δὲ ὀλίγον ἀπέχῃ (ἡ πόλις) ἀπὸ τοῦ αἰγιαλοῦ, ὅτι τὰ μὲν ἑκατέρωθεν ἐκπέφευγε λυπηρά, τὰ δ' ἀμφοτέρων ἀγαθὰ ἀνείληφεν,*

---

[1]) Tiberim saepe ab hoc loco laudatum esse infra (p. 15) ostendemus.

vel similiter (345, 15): εἰ δὲ ἐπιθαλάττιον ἐπαινοίης, ὅτι ὅσα καὶ ἐν γῇ καὶ ἐν θαλάττῃ ἡδέα καὶ ὠφέλιμα συνείληφεν ἡ χώρα.

Praeter hoc Ciceronis encomium Romuli, quod aliis quoque permultis locis quantopere ex rhetorum ludis pendeat quaestione progrediente cognoscemus, porro ad urbis ἀπὸ θέσεως laudationem maxime spectat oratio illa magna Camilli a Livio V 51—54 expressa. Qua in oratione Livius nonnulla ad laudem Romae pertinentia iactat, cum Camillum civibus deliberantibus, utrum urbem a Gallis dirutam atque combustam rursus exaedificent an Veios transmigrent, suadentem facit, ut Romae maneant. Hac autem in deliberatione Livium rhetorum leges observare censemus, quorum in scholis tales deliberationes usitatae videntur fuisse. Profert enim similem rem Emporius praecept. deliberativae (p. 570, 28 Halm): „Deliberationes aut simplices sunt aut . . . comparativae, ... comparativae, ut si deliberent Scythae, cum pestilentia laborarent, utrum urbes instituant an sedes novas quaerant." Etiam aptior ad hunc Livii locum est Hermogenis liber περὶ μετοικιῶν καὶ τῆς ἐν τούτοις εὑρέσεως" (p. 109, 20 sqq. Rabe), in quo accurate praecipitur, quid ei, qui emigrationem commendare vult, et ei, qui eam prohibere studet, dicendum sit. Ad augendam autem vim talium deliberationum rhetor inducit hanc propositionem (p. 111, 3 sq.): βουλεύονται Αἰγύπτιοι μετοικεῖν τοῦ Νείλου μὴ ἐπαναβαίνοντος ἔτι, quacum componere liceat verba Camilli, quibus Romae positionem opportunissimam tollit:

Livius V 54, 4.

›Non‹ sine causa ›dii hominesque hunc urbi condendae‹ locum elegerunt, saluberrimos ›colles‹, »flumen opportunum«, quo ex mediterraneis locis ›fruges‹ devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur, mare

Hermogenes, p. 111, 11.

ὁ δὲ ἀξιῶν μένειν ἐρεῖ ὡς ›οὐ‹ διὰ τὸν ποταμὸν μόνον ›οἱ πρόγονοι τὸν οἰκισμὸν‹ ἐποιήσαντο τῆς Αἰγύπτου (cf. etiam p. 110, 20 sq.), ἀλλὰ πολλὰ αὐτῆς καὶ ἄλλα θαυμάσαντες, τὴν κρᾶσιν τὴν τῶν ἀέρων, τὸ τῶν ›πεδίων‹ εὐή-

vicinum[1]) ad commoditates nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum, regionum Italiae mediam[2]), ad incrementum urbis natum unice locum.	λατον, τὸ εἰς τὰ ἄλλα ›τῆς γῆς εὔφορον‹, τὴν τῆς θαλάσσης γειτνίασιν καὶ »τὴν τοῦ ποταμοῦ πρὸς τὰ ἄλλα χρείαν« (cf. Menand. III 388, 12 μετὰ ταῦτα ἐρεῖς περὶ τῆς πόλεως, ὅπως ... ἐν μέσῃ τῇ χώρᾳ κεῖται).

Denique paulo aliter ab eodem loco θέσεως urbis diligenter Roma effertur a Strabone V 3, 7. Qui scriptor ut diceret (I p. 370, 12. K): ἡ Ῥώμη ... ἐπὶ τῷ Τιβέρει κεῖται· περὶ ἧς, ὅτι πρὸς ἀνάγκην, οὐ πρὸς αἵρεσιν ἔκτισται εἴρηται, quam sententiam probat sequentibus verbis, quibus terras circumiacentes significat (cf. Menand. III 347, 2: θέσιν πόλεως δοκιμάζομεν ... πρὸς τὴν χώραν, ἐν ᾗ κεῖται, ἢ πρὸς τὰς περιοίκους χώρας), commotus videtur esse illo rhetorum praecepto, quod tradit Menander III 357, 15: αἰτίαι τοίνυν οἰκισμῶν πόλεων ... ὡς διὰ τὸ συμφέρον, ἢ ὡς διὰ τὸ ἀναγκαῖον (ἡ πόλις ἐκτίσθη). Cui laudi Strabo adicit encomium φυτῶν καὶ ὀρῶν καὶ ποταμῶν, quae celebranda esse docet Hermogenes, p. 15, 1; praedicat enim Strabo τὴν ἀγαθῶν εὐφυΐαν (p. 371, 18): δι' ἣν ἐπὶ τοσοῦτον αὐξηθεῖσα ἡ πόλις ἀντέχει τοῦτο μὲν τροφῇ, τοῦτο δὲ ξύλοις καὶ λίθοις πρὸς τὰς οἰκοδομίας ... πρὸς ταῦτ' οὖν τό τε τῶν μετάλλων πλῆθος καὶ ἡ ὕλη καὶ οἱ κατακομίζοντες ποταμοὶ θαυμαστὴν παρέχουσι τὴν ὑποχορηγίαν· πρῶτος μὲν Ἀνίων ... ἔπειθ' ὁ Νὰρ καὶ ὁ Τενέας ... ὁ Κλάνις ... κτλ. Similia autem praescribit Menander III 387, 7: ἔκφρασιν τῆς φύσεως καὶ τῆς θέσεως ... ἐρεῖς καὶ περὶ ποταμῶν ... καὶ σπερμάτων καὶ δένδρων, ὅπως ἐπιτηδείως ἔχει πρὸς ταῦτα σύμπαντα.

Harum omnium rerum ad laudes Romae pertinentium plurimis ornatus est praedicationibus Tiberis. Flumen autem in urbis encomio efferendum esse omnes fere rhetores volunt. Docent autem De Tiberi.

---

[1]) Mare hic ab eodem loco laudatur, a quo in Ciceronis encomio (cf. supra p. 11).

[2]) cf. J. G. Kohl: Die geograph. Lage Roms, „Ausland“ 1871, p. 1076 sq.: „Zentrale Lage Roms in Bezug auf Italien.“

Priscianus de praeex. rhet. 20 (p. 556, 14, Halm): „Laudamus etiam res .... et montes et fluvios et similia", Dion Chrysost.[1]) or. XXXIII 18: πόλιν δ' ἂν ἐπαινέσαι ποτὲ εἰς ταῦτα ὁρῶντα ποταμοὺς καὶ βαλανεῖα καὶ κρήνας...", Dionys. Hal. rhet. 1, 3 (p. 257, 16): ἂν ποταμὸς ᾖ μέγας ἢ καθαρὸς ἢ συμβαλλόμενος τοῖς ἐνοικοῦσι τὴν χώραν (laudandus est), similiter Menander III, 349, 27.

Atque Tiberis, id quod in Ciceronis et Livii laudationibus θέσεως Romae iam tetigimus, saepe celebratur, quod urbem cum mari coniungat et urbis a mari in terram et rure in mare commercium perficiat[2]). Laudat autem Cicero rep. II 10 Tiberim: „quo posset urbs et accipere a mari quo egeret et reddere quo redundaret, eodemque ut flumine res ad victum cultumque maxime necessarias non solum mari absorberet, sed etiam invectas acciperet ex terra." Plane eodem modo Tiberis effertur a Livio V 54, 4: „Flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur" (cf. p. 12), a Dionysio Hal. ant. rom. III 44, 1: Τίβερις... τὰς εἰσκομιζομένας διὰ θαλάττης καὶ καταγομένας ἄνωθεν ἀγορὰς ὑποδέξεταί τε καὶ ἀμείψεται τοῖς ἐμπορευομένοις, a Rutilio I 153:

„Atque opulenta tibi placidis commercia ripis
devehat hinc ruris, subvehat inde maris",

ab auctore cosmographiae 25 (p. 83, 13 Riese geogr. lat. min.): „maritimas naves suscipiens et mediteraneas adducens".

Per Tiberim merces a mari Romam transportari etiam his locis legimus: Paneg. Lat. XII 18, 1 ... „Tu Romae tuae altor copiis subvehendis... moderatus", apud auctorem expos. tot. mund. et gent. 55 (p. 120, 14 Riese l. c.) „Tiberis... utilis est

---

[1]) Quem scriptorem saepe in orationes ipsa rhetorum praecepta transtulisse invenimus; cf. or. XXXII 37; XXXIII 24; fluviorum autem encomia profert or. XXXII 36 (laus Nili), XXXV 13 (laus Marsyae, Maeandri).

[2]) cf. R. Poehlmann: „Die Übervölkerung der antiken Großstädte", Preisschrift der Jablonowskischen Gesellschaft zu Leipzig 1884, p. 10: „Der Tiber ... sicherte eine Zufuhr aus dem Binnenlande, die wegen ihres Umfanges schon von den Alten als eine Hauptgrundlage des Wachstums der Stadt gerühmt wird, und erschloß zugleich die Weltstraße des Meeres." Qua de re accuratius disserit J. G. Kohl, l. c. p. 991 sq.: „Rom und der Tiber."

praedictae civitati, qui incidens in eam per venit in mare, et per ipsum omnia quae veniunt de peregre ascendunt", Cassiodor. var. VII 9, 1: „his primum faucibus Romanae deliciae sentiuntur et undis Tiberinis quasi per alvum vadunt quae ad commercia civitatis ascendunt"[1]).

Ad naturam deinde Tiberis spectat descriptio Dionysii Hal. III 44, qui historicus in antiquitates tales descriptiones[2]) vel orationes, quibus artem rhetoricam prae se ferat, saepissime inserit[3]); depingit autem commoda et bona Tiberis his verbis (2): *ὃ δὲ μάλιστα θαυμάσειεν ἄν τις, οὐκ ἀποκλείεται τοῦ στόματος ὑπὸ τῆς θαλαττίας θινὸς ἐμφραττόμενος, ὃ πάσχουσι πολλοὶ καὶ τῶν μεγάλων ποταμῶν, οὐδ' εἰς ἕλη καὶ τέλματα πλανώμενος ἄλλοτε ἄλλῃ προκαταναλίσκεται, πρὶν ἢ τῇ θαλάττῃ συνάψαι τὸ ῥεῖθρον, ἀλλὰ ναυσιπέρατός*[4]) *ἐστιν ἀεὶ καὶ δι' ἑνὸς ἐκδίδωσι τοῦ γνησίου στόματος ἀνακόπτων τὰς πελαγίους ῥαχίας τῆς θαλάττης, καίτοι πολὺς αὐτόθι γίνεται καὶ χαλεπὸς ὁ πνέων ἀπὸ τῆς ἑσπέρας ἄνεμος.* Quam eandem laudem breviter exprimit Cicero rep. II 10: „perennis amnis et aequabilis et in mare late influens". De duobus autem Tiberis alveis disserunt

---

[1]) Liceat hic afferre orationem Himerii, ubi idem, quod ceteri laudi tribuerunt, crimini vertitur, id quod plane ex consuetudine rhetorum est, qui idem alias laudare, alias vituperare non verentur, dummodo semper id, quod petunt, adipiscantur. Laudi enim dat Himerius Constantinopoli or. XVI 5: *Σοὶ πανταχόθεν ὁλκάδες καὶ ἐκ πάντων λιμένων ἀνάγονται, οὐδὲν δεόμεναι Τύμβριδος, ἵν' ὡς περίβολον γένωνται, ἀλλ' ἐκ θαλάττης εὐθὺς καταίρουσι καὶ ἐξ αὐτῶν τειχῶν ἀναδέουσι τὰ πείσματα.*

[2]) Conferas quaeso eiusdem lib. III 68, ubi accuratam descriptionem circi maximi legimus.

[3]) Adnotant ad hanc dicendi rationem O. Peter l. c. II 303: „In der Anwendung der rhetorischen Kunstmittel hat den Dionys. v. Hal. keiner der späteren Historiker erreicht" et Liersius: Die Theorie der Geschichtsschreibung des Dionys. v. Halik., Prg. Waldenburg i. Schles. 1886, p. 14: „Die Reden (des Dionys.), die fast ein Drittel des ganzen Buches einnehmen, erinnern durchaus an Schuldeklamationen und können den schlimmsten Machwerken der Rhetorik an die Seite gestellt werden." Idem dicendum est de descriptionibus Dionysii.

[4]) Similiter Tiberim laudat Plinius N. H. III 54: „Tiberis... magnarum navium ex Italo mari capax."

Cassiod. var. VII 9, 2: „duo quippe Tiberini alvei meatus ornatissimas civitates tamquam duo lumina susceperunt, ne vacaret a gratia quod tantae urbi ministrabat expensas" et Rutilius I 179:

.... „fronte bicorni
dividuus Tiberis dexteriora secat.
Laevus inaccessis fluvius vitatur arenis;
hospitis Aeneae gloria sola manet".

Huic Rutili versui, in quo laudatio fluvii a vetustissimis fabulis repetita invenitur, id quod plane ex usu scholastico est[1]), addimus similem locum Panegyricorum Lat. XII 18, 1: „Sancte Tybri, quondam hospitis monitor Aeneae, mox Romuli conservator expositi, tu nec falsum Romulum diu vivere nec parricidam urbis passus es enatare... 2. Neque enim semper es rapidus et torrens, sed pro temporum ratione moderatus. Tu quietus armatum Coclitem revexisti, tibi se placido Cloelia virgo commisit."

Similiter autem, atque hoc loco Tiberis „moderatus" et „quietus" appellatus est, scripserunt Ovid. f. I 241: „placidissima... Thybridis unda", Plinius N. H. III 54: „rerum in toto orbe nascentium mercator placidissimus", Rutil. I 153: „placidis... ripis."

Tum Tiberis rex fluviorum nominatur a Dionysio orb. descr. 352 sq. (Mueller: Geogr. Graec. II 124):

Θύμβρις ἑλισσόμενος καθαρὸν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει,
Θύμβρις ἐϋρρείτης, ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων,
Θύμβρις, ὃς ἱμερτὴν ἀποτέμνεται ἄνδιχα Ῥώμην

(quos versus transfert Priscianus Perieg. 348:

„quorum per terras discurrit in aequora Tibris
regius, irriguo dirimit qui gurgite Romam")

et ab auctore cosmogr. 25 (p. 83, 5 Riese): „Fluviorum rex, pulcher Tiberis, cui primatum aeternae urbis Romae singularis tribuit magnitudo", similiter quoque Statius dicit (silv. III 5, 111): „ductor aquarum Thybris".

---

[1]) Docet enim Dionysius Hal. art. rhet. 1, 3 (p. 257, 17): *εἰ δὲ δὴ καὶ μῦθος εἴη λεγόμενός τις περὶ τῆς πόλεως* (quod etiam de fluminis laude valere potest), *οὕτω ἂν καὶ πολλὴν γλυκύτητα ἔχοι ὁ λόγος.*

Nonnumquam Tiberis etiam sanctus appellatur: Anth. Pal. IX 352:

Νεῖλος ἑορτάζει παρὰ Θύβριδος ἱερὸν ὕδωρ.

Martial. IV 64, 23:

... „sacrumque
lapsae per Tiberim volent carinae".

Paneg. Lat. XII 18, 1: „Sancte Thybri"[1]), (Vergil. Aen. VIII 64: „caeruleus Thybris, caelo gratissimus amnis").

Denique hic breviter admonemus Tiberim saepe humana quoque specie indutum esse, quam prosopopoeiam a poesi in scholam declamatoriam transisse apparet ex Isidoro de rhet. 13[2]). Atque ab aetate Vergili, qui primus Tiberim patrem harundinem circa caput gestantem inducit (Aen. VIII 34): „crini sumbrosa tegebat arundo", ut non dicam de his, quos Vergilium ipsum imitari verisimile est, scriptoribus: Ovid. f. V 637:

„Thybris arundiferum medio caput extulit alveo."

Claudian. Prob. et Olybr. cos. 217:

„vertice luxuriat toto crinalis harundo."

Rutil. I 151:

„Ipse triumphali redimitus arundine Tibris."

Sidon. Apoll. c. 2, 333:

„currebat fluvius residens et harundinis altae
concolor in viridi fluitabat silva capillo".

hanc prosopopoeiam patris Tiberini tam saepe invenimus (cf. Ovid. f. V 635; cons. ad Liv. 221: „ipse pater flavis Tiberinus"; Claudian. Prob. et Olybr. cos 209: „Tiberinus in antris sedens";

---

[1]) Simili epitheto Maeander flumen ornatur a Dione Chrys. or. XXXV 15: *Μαίανδρος πολὺ πάντων ποταμῶν θειότατος καὶ σοφώτατος.*

[2]) p. 514, 24 (Halm): „Prosopopoeia est, cum inanimalium et persona et sermo fingitur ... Sic et montes et flumina vel arbores loquentes inducimus, personam inponentes rei, quae non habet naturam loquendi (similiter etiam Hermogenes 20, 11; Aquila Rom. 3 (p. 23, 22 Halm.); Priscian. praeex. rhet. 27 (558, 1 H.).

Sidon. Apoll. c. 2, 332 „Tiberini antrum")[1], ut in scholae consuetudinem eam transisse suspicemur[2]).

De aquis et montibus urbis

Sed haec de Tiberis laudibus. Cum autem ad hunc πρὸς τὰ ὕδατα locum etiam fontes, quos praedicandos esse docet Menander III 349, 26, pertineant, breviter talia Romae encomia adiciamus; scripsit enim Cicero (rep. II 11) Romulum condendae urbi delegisse locum fontibus abundantem, neque longe differunt Rutil. I 103:

„Nec minus et propriis celebrantur roscida venis
totaque nativo moenia fonte sonant",

et Cassiodorus var. III 53, 6: „Nam quamvis Romana civitas aquis abundet irriguis sitque fontibus gaudens et formarum inundatione ditissima eqs."

Praeter aquas vero in loco ἀπὸ θέσεως etiam montes laudis copiam praebere rhetores censent (cf. Hermog. p. 15, 1; Menand. III 383, 15). Atque Cicero nonnulla de montibus Romae dicit (rep. II 11). Laudi enim ei videtur esse urbi, quod ex omni parte arduis praeruptisque montibus quasi nativo praesidio circumdata sit et „arx circumiectu arduo et quasi circumciso saxo" nitatur, „ut etiam in illa tempestate horribili Gallici adventus incolumis atque intacta permanserit"; quibus in verbis rhetores agnoscimus, qui praecipiunt (Menand. III 350, 29): ἂν μὲν τοίνυν πᾶσα (ἡ πόλις) ἐν ὄρει .... (λεκτέον) ... ὅτι αὐτοφυὲς τεῖχος καὶ ἀπρόσβατον κέκτηται. Conferas quaeso Strabonem V 3, 7, ubi accurate singuli Romae

---

1) Etiam in carmine poetae nostri J. V. v. Scheffel: „Der Trompeter von Säkkingen" Tiberis humana specie induitur; legimus enim in capite: „Ein Wiedersehen in Rom" inscripto (cap. XV):

„Träge wälzt der Tibris seine
Blonden Wellen
— — — — — — —
— — — — — — —
Unten tief im Wellengrunde
Saß der Alte und er brummte
(Sequitur oratio Tiberis!)

2) Kehding l. c. p. 17 Claudiani usum Tiberim vel Romam ipsam loquentes faciendi componit cum hoc Menandri praecepto (III 374, 6): ἐνταῦθα καιρὸν ἕξεις ... φωνὴν, καθάπερ ἐν δράματι ἢ χώρᾳ ἢ ποταμῷ περιτιθέναι.

colles atque eorum muri munimentaque tractantur; ad quem locum in laudibus amplitudinis urbis (p. 51 sq.) redibimus.

Denique nescio an in hac re afferendae sint locutiones, quae sunt „septem montes“, „septem culmina“ vel similes pro urbe ipsa positae. Scripserunt autem has dictiones: Cicero ad Att. VI 5, 2 *(ἄστυ ἑπτάλοφον)*; Vergil. A. VI 783; Georg. II 535; Propert. III 11, 57; Tibull. II 5, 55; Ovid. tr. I 5, 69; III 7, 51; Statius S. I 5, 23; II 7, 45; Martial. IV 64, 11; Ammian. Marc. XVI 10, 14; Paneg. Lat. II 45, 7; Claudian. VI Hon. cos. 536; Rutil. I 198; Prudent. c. Symm. I 414.

A Statio denique Roma septemgemina appellatur (Silv. I 2, 191): „Quis septemgeminae posuisset moenia Romae“ et (Silv. IV 1, 6): „et septemgemino iactantior aethera pulset Roma iugo ..“
quem sequitur Claudian. Fesc. II 19:

„Aurea septemgeminas
Roma coronet arces.“

Tota de *θέσεως* Romae quaestione iam ad finem perducta, priusquam ad secundum locum, a quo urbem laudari rhetores iubent, *τὸν ἀπὸ γένους τόπον* nos vertamus, nonnulla de laudibus Italiae inserere liceat, quae, quod *θέσιν πόλεως δοκιμάζομεν καὶ πρὸς τὴν χώραν, ἐν ᾗ κεῖται* (Menand. 347, 5), aliquatenus ad ipsam positionis laudem pertinent; praeterea in encomiis Italiae permulta contineri cognoscemus, quae ad Romam urbem ipsam referre licet. **De laudibus Italiae**

Omnes autem laudes Italiae[1]) ipsas quoque plus minusve studiis rhetoricis deberi mihi videtur verisimile, praesertim cum etiam ad laudes terrarum in scholis declamatoriis praecepta data sint, quae tradit Menander III 344, 15 sq. capite: *Πῶς χρὴ χώραν ἐπαινεῖν* inscripto. Atque scholasticorum leges, quas legimus apud Menandrum III 383, 18: *καὶ συγκρινεῖς τούτων (τῶν ἐκ θέσεως καὶ φύσεως τόπων) ἕκαστον, τὴν μὲν χώραν ἑτέρᾳ χώρᾳ, οἷον*

---

[1]) Afferimus eos scriptorum locos, quos enumerat Maximilianus Rothstein ad Propertium III 22 (vol. II p. 370).

ὅτι ἐν καλῷ μὲν κεῖται, καθάπερ ἡ Ἰταλία, διαφέρει δὲ τῷ .... εὐφυέστερον ἔχειν πρὸς ἤπειρον καὶ πρὸς θάλασσαν· τὸ δὲ πρὸς τοὺς ἀέρας ἢ πρὸς τοὺς Ἀθηναίων ἀέρας ἢ πρὸς τοὺς Ἴωνας, in laudibus Italiae secuti videntur esse et Varro rer. rust. I 2, 4 sq., ubi Asiae, Phrygiae, Argorum fertilitatem et salubritatem comparat cum Italiae, et Dionysius Hal. ant. I 36, 2: *ὡς γὰρ μία γῆ πρὸς ἑτέραν κρίνεσθαι τοσαύτην τὸ μέγεθος ... κρατίστη ... ἐστὶν Ἰταλία ... ἐνθυμουμένοις Αἴγυπτόν τε καὶ Λιβύην καὶ Βαβυλῶνα καὶ εἴ δή τινες ἄλλαι χῶραί εἰσιν εὐδαίμονες .... τοῦτο δὲ τὸ παμφόρον καὶ πολυωφελὲς παρ' ἥντινοῦν ἄλλην γῆν Ἰταλίαν ἔχειν πείθομαι* et Vergilius georg. II 136 sqq.:

„Sed neque Medorum, silvae ditissima, terra
nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus
laudibus Italiae certent, non Bactra neque Indi
totaque turiferis Panchaïa pinguis harenis",

ut non dicam de Properti Italiae laude, quam exhibet libr. III 22 ubi omnibus illis pulchris terris versuum 1—16 sic opponitur (v. 17, 18):

„Omnia Romanae cedent miracula terrae:
natura hic posuit, quidquid ubique fuit."

Porro ab omnibus fere his Italiae laudatoribus salubritas caeli praedicatur, quam laudationem commendat Menander III 387, 10: *ἀέρων ἔχει εὐκρασίας*[1]). Dionys. Hal. ant. I 36 (vol. I p. 59, 2. C. Jacoby): *ἀέρα κεκραμένον ταῖς ὥραις συμμέτρως, οἷον ἥκιστα πημαίνειν κρυμῶν ὑπερβολαῖς ἢ θάλπεσιν ἐξαισίοις καρπῶν τε γένεσιν καὶ ζῴων φύσιν,* Vitruv. VI 1, 11 (127, 18 Krohn): „divina mens civitatem populi Romani egregia temperataque regione conlocavit, ut orbis imperio potiretur", Strab. VI, 4, 1 (I, p. 456, 10 Kramer): *τρίτον δὲ τὸ πολλαῖς ὑποπεπτωκέναι διαφοραῖς ἀέρων τε καὶ κράσεων ...* (16. *εὐκρασία δ' ἀέρων καὶ δυσκρασία κρίνεται παρὰ τὰ ψύχη καὶ τὰ θάλπη καὶ τὰ μεταξὺ τούτων* = Menand. III 347, 14: *θεωρεῖται δὲ ἢ κατὰ ψύξιν ἢ κατὰ θάλψιν*), Plin. N. H. III 41: „iam vero

---

[1]) cf. p. 8.

tota ea vitalis ac perennis salubritas, talis caeli temperies", ib. XXXVII 201: „iam situ ac salubritate caeli ac temperie", Aelian. var. hist. IX 16 vol. II p. 101, 11; Hercker): *διὰ τὴν τῶν ὡρῶν εὐκρασίαν,* Herodian. I 6, 2[1]): *ἀτμίδων τε καὶ ἀέρων, ὧν Ἰταλία μόνη εὔφορος.*

Neque minus opportunitas situs Italiae nonnullis horum scriptorum laude digna videtur. Hic quoque secundum praecepta rhetorica Menandri (III 344, 19), quae supra[2]) attulimus, Italia celebratur; scribunt enim Vitruv. VI 1, 11 (p. 127, 15): „Italia inter septentrionalem meridianamque ab utraque parte mixtionibus temperatas et invictas habet laudes", Strabo VI 4, 1 (p. 456, 4): *ὅτι νήσου δίκην ἀσφαλῶς φρουρεῖται τοῖς πελάγεσι κύκλῳ πλὴν ὀλίγων μερῶν* (similiter Menander III 344, 23: *[δοκιμάζομεν] εἰ νῆσος ἢ νήσῳ ἐοικυῖα),* idem (p. 457, 5): *ἐν μέσῳ δὲ καὶ τῶν ἐθνῶν τῶν μεγίστων οὖσα καὶ τῆς Ἑλλάδος καὶ τῶν ἀρίστων τῆς Ἀσίας μερῶν . . . κτλ.* (Conferas Menand. III 383, 20: *(χώρα) ἐν καλῷ κεῖται . . . κατὰ τὸ μέσον τῆς οἰκουμένης,* 345, 30: *περὶ αὐτὴν ἡ πᾶσα γῆ κυκλεῖται),* Plinius XXXVII 201 (vol. V p. 476, 1, Mayhoff): „quod contigit positione procurrentis in partem utilissimam et inter ortus occasusque mediam". Aelian. var. hist. IX 16 (p. 101, 14): *θάλαττα ἀγαθὴ παράκειται αὐτῇ ὅρμοις πανταχόθεν διειλημμένη καὶ καταγωγαῖς ἀφθόνοις καὶ κατάρσεσιν.[3])*

Omnes quoque aliae res, quas in terris praedicandas esse oratores docent (cf. Menand. III 344, 31: *τὴν δὲ φύσιν τῆς χώρας δοκιμάζομεν πάσης ἐκ τῶν ἓξ τόπων τούτων, ἢ γὰρ ὀρεινή τίς ἐστιν ἢ πεδινή, ἢ ξηρὰ καὶ ἄνυδρος ἢ λιπαρὰ καὶ εὔυδρος, καὶ εὔφορος καὶ ἢ πολύφορος,* 383, 14: *ἐκφράσεις πεδίων κάλλη, ποταμῶν, λιμένων),* ab his Italiae laudatoribus afferuntur:

---

1) Hunc scriptorem Maxim. Rothstein l. c. non affert.

2) cf. p. 8.

3) cf. J. G. Kohl l. c. p. 1143 sqq.: „Rom und der orbis terrarum oder Roms Weltlage".

Vergil. Georg. II 143—169	Dionys. Hal. ant. rom I. 37
	p. 57, 16 (vol. I Jacoby): ἀλλ' ἔστι πάσης ὡς εἰπεῖν ἡδονῆς τε καὶ ὠφελείας ἔκπλεως (cf. Men. 345, 7: πρὸς ἡδονὴν ἢ πρὸς ὠφέλειαν ... δεῖ τοὺς περὶ χώραν ἐπαίνους ποιεῖσθαι)
143: sed gravidae *fruges* et Bacchi Massicus umor implevere; tenent *oleae* armentaque laeta.	p. 57, 17: ποίας μὲν λείπεται σιτοφόρου ... ποίας δ' ἐλαιοφόρου ... ποίας δ' οἰνοφύτου
145: hinc bellator *equus* campo sese arduus infert; hinc albi, Clitumne, greges et maxuma taurus victima (149—150 salubritas caeli)	58, 3: πολλὴν μὲν ἄν τις εὕροι τὴν εἰς ποίμνας ἀνειμένην αὐτῆς, πολλὴν δὲ τὴν αἰγινόμον ... τὴν ἱπποφορβόν τε καὶ βουκολίδα
151: at rabidae tigres absunt et saeva leonum semina nec miseros fallunt aconita legentis, nec rapit immensos orbis per humum neque tanto squameus in spiram tractu se colligit anguis. (155—156 urbes, oppida)	p. 58, 22: θηρίων ἄγρας ἀφθόνους
157: *fluminaque* antiquos subterlabentia muros.	58, 16: πλῆθος τῶν ποταμῶν, οἳ διαρρέουσιν ἅπασαν τὴν ἀκτήν
158: an *mare*, quod supra, memorem, quodque adluit infra? anne *lacus* tantos? te, Lari maxume, teque, fluctibus et *fremitu* adsurgens Benace *marino*?	58, 24: θαλάττης φύσιν πολύγονον 58, 19: νάματα θερμῶν ὑδάτων ... λουτρά (cf. Herodian I 6, 2: πηγῶν τε θερμῶν καὶ ψυχροῦ νάματος ... Ἰταλία μόνη εὔφορος)[1])
161: an memorem *portus* Lucrinoque addita claustra atque indignatum magnis stridoribus aequor, Iulia qua ponto longe sonat unda refuso	
165: haec eadem *argenti* rivos aerisque *metalla* ostendit venis atque *auro* plurima fluxit.	58, 22: μέταλλα παντοδαπά
167: haec *genus* acre *virum*, Marsos pubemque Sabellam adsuetumque malo Ligurem Volscosque verutos extulit.	58, 9: πάντων δ' εἰσὶν οἱ δρυμοὶ θαυμασιώτατοι περί τε τὰ κρημνώδη χωρία καὶ τὰς νάπας καὶ τοὺς ἀγεωργήτους λόφους

[1]) Similiter Men. 349, 29: καὶ θερμαὶ πηγαὶ εὑρίσκονται.

Strab. VI 4, 1	Plin. III 41—42	Plin. XXXVII 201
457, 3 (vol. I. Kramer): ὕλης τε καὶ τροφῆς ἀνθρώποις τε καὶ βοσκήμασιν (cf. Aelian. l. c. p.101, 13: τὸ πάμφορον καὶ τὸ εὔβοτον)	p. 248, 15 (vol. I. Mayhoff): tanta frugum vitiumque et olearum fertilitas 16. tam nobilia pecudi vellera, tam opima tauris colla	476, 5 (vol.V. Mayhoff): fruges, vinum oleum 6. vellera, lina, vestes, 6. ... iuvenci, equos
		476, 3: ferorum animalium innocentia
456, 25: καὶ πλῆθος ποταμῶν	248, 17: tot amnium ... ubertas	476, 2: aquarum copia (cf. Aelian. l. c. p. 101, 14: ποταμοῖς ἐστι κατάρρυτος)
	18. tot maria	
457, 1: καὶ λιμνῶν.	17. tot lacus	
πρὸς δὲ τούτοις θερμῶν καὶ ψυχρῶν ὑδάτων	17. fontium ubertas	
	15. tot montium adflatus	475, 18. benigno ventorum adflatu
456, 7: λιμένας μεγάλους	18. portus, gremium terrarum commercio patens	475, 18: portuosis litoribus
457, 3: μετάλλων εὐπορίας		476, 7: metallis, auri, argenti
	20—22. Italiae populi enumerantur	475, 15: viri, femini
cf. Aelian. l. c. p. 101, 17: τὸ τῶν οἰκητόρων ἥμερον)		
456, 24: ὀρείων ἀγαθῶν καὶ τῶν πεδίων ἀπολαῦον	13. tam aprici colles, tam inoxii saltus, tam opaca nemora, tam ... silvarum genera	476, 2: nemorum salubritate, montium articulis.

Qua ex contentione apparet Vergilium, Dionysium, Strabonem, Plinium saepe easdem fere res enumerare et iisdem ipsis verbis laudes Italiae exprimere; maxime autem similitudo Vergilianae et Plinianae descriptionis notanda est; quae tamen non ita intellegenda videtur esse, ut Plinius Vergili vestigia persecutus sit, sed ut uterque ex eodem fonte rhetorico hauserit, quem S e r v i u s commentator significat, cum dicit ad georg. II 136: „incipit laus Italiae, quam exsequitur s e c u n d u m p r a e c e p t a r h e t o r i c a."

2. De genere urbis.

Iam vero, quoniam omnia, quae ad *θέσεως* laudationes Romae pertinent, tractata sunt, ad secundum locum encomii urbis, qui est *ἀπὸ γένους*, transeamus. Quid autem hoc loco comprehendatur, Menander docet in capite: „*πῶς δεῖ ἀπὸ γένους πόλιν ἐγκωμιάζειν* inscripto (III 353, 5): *Δεύτερος δ' ἂν εἴη τόπος ὁ τοῦ γένους καλούμενος, διαιρεῖται δὲ εἰς οἰκιστάς, εἰς τοὺς οἰκήσαντας, εἰς τὸν χρόνον, εἰς τὰς μεταβολάς, εἰς τὰς αἰτίας, ἀφ' ὧν αἱ πόλεις οἰκοῦνται. τούτων δ' αὖ ἕκαστον πολλαχῇ διαιρετέον.* Omnibus his numeris Roma celebrata est.

De conditore urbis

Ac primum quidem *ὁ εἰς τοὺς οἰκιστὰς τόπος* ab omnibus fere rhetoribus in urbium laudibus postulatur; dicit enim auctor e x c e r p t. r h e t. p. 587, 20 (H): „Urbium laudem primum conditoris dignitas ornat", similiter quoque M e n a n d e r III 382, 24: *εἶτα ἔπαινον ἐρεῖς διὰ βραχέων τοῦ κτίσαντος*, idem III 383, 9: *δεύτερον δὲ κεφάλαιον ἐρεῖς μετὰ τοῦτο αὐτοῦ τοῦ κτίσαντος ἔπαινον σύμμετρον*. Quibus cum praeceptis concordantes scriptores et poetae persaepe Romulum in enumeratione virorum de urbe bene meritorum (cf. Verg. A. VIII 630 sqq.; Hor. c. I 12, 33) commemorant vel cum aliis regnorum celeberrimorum auctoribus componunt, id quod legimus apud J u l i a n u m or. I 10 B: *φήμας . . . θρυλεῖν εἰώθασιν ἐπὶ τῶν οὕτω λαμπρὰ καὶ περιφανῆ πραξάντων, Κύρου καὶ τοῦ τῆς ἡμετέρας οἰκιστοῦ πόλεως καὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Φιλίππου*, et in I u s t i n i epitoma Pompei Trogi XLI 5, 5: „Arsaces... non minus memorabilis Parthis quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, R o m a n i s R o m u l u s."

De Romulo deo

Plurimis autem Romuli laudatoribus imprimis id memoria dignum videtur, quod ille a dis prognatus vel ipse deus sit. Hoc plane ex rhetorum usu est, qui conditorem urbis deum esse maximi momenti dicunt esse; praescribit autem Dionysius Hal. art. rhet. 1, 3 (p. 257, 7), de loco *περὶ γενέσεως: ἐν ᾧ τίς ὁ κτίστης θεὸς ἢ ἥρως, καὶ εἴ τι ἔχεις περὶ αὐτοῦ εἰπεῖν*[1]). Itaque non solum poetae sed etiam rerum scriptores divinam conditoris Romae originem saepe praedicant. Atque Livius, quem cum in aliis historiarum libris tum vetustissimas populi Romani res gestas scribentem discipulum scholae declamatoriae se praebere iam cognovimus, nimio fere studio iterum ac saepius Romulum Martis filium esse et ipsum deorum in numerum receptum esse narrat; quem laudationis locum in ipso prooemio legimus, (praef. 7): „et si cui populo licere oportet consecrare origines suas et ad deos referre auctores: ea belli gloria est populo Romano, ut, cum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat, tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo, quam imperium patiuntur." Aliis quoque locis Livius *τὸν ἀπ' οἰκιστοῦ τόπον* adhibet, ut lib. I 15, 6: „Romuli divina origo divinitasque post mortem credita", lib. I 16, 3: „deum deo natum, regem parentemque urbis Romanae ... Romulum", lib. I 40, 3: „Romulus, deo prognatus, deus ipse", lib. IV 15, 7: „Romulus conditor, ab diis ortus, receptus ad deos", lib. V 24, 11: „Deus Romulus, dei filius, parens et auctor urbis Romae" (quo loco verbum „deus" graviter initio positum est).

Lib. I 9, 4 vero in universum deos Romam condidisse commemorat Livius: „satis scire origini Romanae et deos adfuisse et non defuturam virtutem", id quod similiter exprimunt Propert. III 11, 65: „Haec (moenia) di condiderant", Rutil. I 67, 68:

„Auctores generis Venerem Martemque fatemur,
Aeneadum matrem Romulidumque patrem";

---

[1]) Idem 5, 5 (p. 275, 24): *ἔτι οὗπερ ἂν ᾖ κτίστου* (scil. *ἔπαινος*) *ἀναγκαῖον εἰπεῖν, ἐάν τε θεὸς ἐάν τε ἥρως ᾖ*, similiter etiam Menander III 353, 11: *ἐὰν τοίνυν (ὁ οἰκιστὴς) θεὸς ᾖ, μέγιστον τὸ ἐγκώμιον.*

Sidon. Apoll. c. 7, 119:

...... „undique caeli
assurgunt proceres, Mars, Cypris, Romulus et qui
auctores tibi, Roma, dei";

auctor carm. de mensibus (P.L.M. vol. I 210) XIII 5:
„Condita Mavortis magno sub nomine Roma".

Ex aliis scriptoribus porro hic afferatur praeter Velleium Paterculum (I 8, 4: „Romulus, Martis filius"; II 131, 1: „auctor ac stator Romani nominis Gradive Mars") et Eutropium (brev. I 1: „Romanum imperium ... a Romulo exordium habet") Cicero. Atque is in magno illo Romuli encomio, quod quantopere ex rhetorica pendeat compluribus iam locis experti sumus, post exordium, quo urbem breviter ab hoc conditoris loco celebrat (rep. II 2, 4): „Quod habemus ... institutae rei publicae tam clarum ac tam omnibus notum exordium quam huius urbis condendae principium profectum a Romulo? qui patre Marte natus ...... eqs.", permultis verbis divinitatem Romuli defendere studet (17): „Ac Romulus ... tantum est consecutus, ut ... deorum in numero conlocatus putaretur; quam opinionem nemo umquam mortalis adsequi potuit sine eximia virtutis gloria." Idem scriptor conditorem urbis similiter laudat (Catil. III 1, 2): „illum, qui hanc urbem condidit, ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus."

De nomine urbis

Aliam deinde Romuli laudationem videmus cum in eis dictionibus, quibus Romani nomen conditoris sui celeberrimi sibi imponunt — affero locutiones, quales sunt „gens Romulea" (Cassiod. var. VIII 10, 11; Martian. Capell. rhet. 2 (p. 452, 3 Halm), 3 (p. 453, 10); *πολυτίμητον θρέμμα Ῥωμύλου* (Themist. or. XIII 178 D et 179 C Dindorf); *ἄστυ Ῥέμοιο* (Anth. Pal. IX 219), — tum eis locis, quibus nomen Romae urbis a Romulo ipso derivatur. Hanc etymologiam schola rhetorica in usum suum convertit, quod *ἔχει πρόφασιν ἐπαίνου, ... εἴ τις τοὺς ἄνδρας ἐπαινοίη ἢ θεούς, ἀφ' ὧν αἱ πόλεις ὀνομάζονται* (Menand. 355, 30). Uberius de hoc *ἀπὸ ὀνόματος* loco laudationis disserit Theon II 111, 3: *χάριεν δέ ἐστιν ἐνίοτε ἀπὸ τῶν ὀνομάτων*

καὶ τῆς ὁμωνυμίας . . . ἐγκωμιάζειν . . . ἀπὸ τῆς ὁμωνυμίας, ὅταν τις τύχῃ τὸ αὐτὸ ὄνομα ἔχων ἀνδρὶ δεδοξασμένῳ[1]).

Ita legimus apud Vergilium Aen. I 277:

„Romanosque suo de nomine dicet",

apud Dionysium Hal. ant. II 2, 4: *τ'οὔνομα αὐτῇ τῆς ἰδίας κλήσεως ἐπώνυμον τίθεται,* apud auctorem orbis descriptionis (geogr. graec. I 205) in fine brevioris Romae laudis haec verba:

Ῥωμύλον δ' αὐτὴν κτίσαι
θέμενον ἀφ' αὐτοῦ φασι τοῦτο τ'οὔνομα.

Hic etiam similem Romae laudem a nomine urbis sumptam afferre liceat, qua nomen Romae a Graeco illo *ῥώμη* ducitur. Quae derivatio, quamquam apud scriptores et poetas notissima atque pervagata est[2]) et arti rhetoricae aptissima videtur[3]), tamen ad ipsam urbis laudem raro usurpata est. Invenimus autem hanc laudationem apud Aristidem XXVI 8: *καὶ ὥσπερ τις ἀνὴρ πολὺ νικῶν τοὺς ἄλλους μεγέθει τε καὶ ῥώμῃ οὐκ ἀγαπᾷ μὴ καὶ ἄλλους ὑπὲρ αὐτὸν ἀράμενος φέρειν, ὡς δὲ καὶ ἥδε . . . ὡς ἄρα ἐπώνυμον αὐτῇ τοὔνομα καὶ οὐδὲν ἄλλ' ἢ ῥώμη τὰ τῆσδε,* in Hieronymi[4]) illa apostropha, qua Romam celebrat (ad Iovianum II 38): „Urbs potens, urbs orbis domina, urbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Roma aut fortitudinis nomen est apud Graecos, aut sublimitatis iuxta Hebraeos", in Expos. tot. mund. et gent. 55 (p. 120, 2 sq. Riese, geogr. lat. min.): „Italia . . . possidet . . . civitatem maximam . . ., quae de nomine virtutem ostentat et vocatur Roma."

Attinet denique quodammodo ad hunc laudationis locum versus 1233 Alexandrae carminis Lycophronis. Ubi in excursu Cassandrae de

---

[1]) cf. Emporium de demonstr. mat. 567, 27 (Halm): „Laudatur autem aliquis ex his quae sunt ante ipsum, quae in ipso quaeque post ipsum . . . in ipso, ut nomen."

[2]) Theodorus Birt: De Romae urbis nomine deque robore Romano, Ind. lect. Marp. sem. hib. 1887/88, permultos locos componit, quibus apparet scriptores et poetas saepe a Pyrrhi fere aetate Romam cognomen putavisse et pro illo verbo „Graeco" verba „Valentia, robur, vis" posuisse.

[3]) Affert enim Theon simile *ἀπὸ τῶν ὀνομάτων* exemplum laudationis (II 111, 6): *ἀπὸ τῶν ὀνομάτων (δεῖ ἐγκωμιάζειν), οἷον Δημοσθένης ὅτι ἦν τὸ τοῦ δήμου σθένος.*

[4]) Quem locum Birtius neglegit.

Roma vaticinantis (v. 1226–1270), quos versus interpolatos esse verisimile videtur[1]), legimus haec verba ad Romulum et Remum spectantia (1232):

τοιούσδ' ἐμός τις σύγγονος λείψει διπλοῦς
σκύμνους λέοντας, ἔξοχον ῥ ώ μ η γένος,

quibus poetam, cum Aeneae genus robore praecellere dicit, hac voce ancipiti Romam ipsam significare Birtius[2]) recte suspicatur.

De vaticinationibus

Quibus in versibus vaticinatione Romae magnitudo futura celebratur. Hanc autem vaticinandi rationem in genere epidictico usitatam fuisse, quod in laudibus regum et in encomiis urbium nonnumquam adhibita sit, Heinzius[3]) suspicatur atque id suo iure. Nam etiam similia rhetorum praecepta exstant, quibus hanc laudationem *ἐν τόπῳ περὶ γενέσεως* adhibendam esse docetur; atque Menander praecipit (III 390, 4): *χρὴ δὲ καὶ ὀ ν ε ί ρ α τ α πλάττειν καὶ ἀκοήν τινα προστίθεσθαι ἀκηκοέναι, καὶ ταύτην βούλεσθαι ἐξαγγέλλειν τοῖς ἀκούουσιν, ὀνείρατα μέν, ὡς εἰ λέγοιμεν, ὅτι παραστὰς νύκτωρ Ἑρμῆς προστάττοι κηρύττειν τὸν ἄριστον τῶν ἀρχόντων*, similiter Priscianus quoque (7, 21, p. 556 H.): „Dices autem etiam, si quid in nascendo evenit mirum, ut ex somnis vel signis vel huiuscemodi quibusdam praenuntiationibus."

Tali autem somnio Iliae, matris Romuli[4]), Ovidius f. III 33

[1]) Sequimur sententiam virorum eorum, qui contra Wilamowitzium (Ind. lect. Gryph. 1883/84), Geffckenium (Gött. Ge. A. 1896, 117) alios contendunt hos versus interpolatori exeuntis tertii a. Chr. n. saeculi deberi (cf. Beloch., Griech. Gesch. III, 2, 478 sq.; Sudhaus. Mus. Rhen. LXIII, 481; Horstium Gasse: de Lycophrone Mythographo, diss. Lips. 1910, p. 19), cum haec verba: (1229) „*γῆ ς καὶ θ α λ ά σ σ η ς σκῆπτρα καὶ μοναρχίαν λαβόντες*", quae similiter a recentioribus urbis laudatoribus ad imperium Romanum celebrandum saepe adhibita esse infra (p. 107 sq.) videbimus, ante secundum bellum Punicum iure dici non potuerint.

[2]) Birtius l. c., p. XI.

[3]) R. Heinze: Virgils epische Technik² p. 393, 2: „Man darf wohl annehmen, daß in zahlreichen Gedichten, die zum Lobpreis von Herrschern Taten ihrer Vorfahren berichteten, oder zum Lob von Städten ihre *κτίσις*, diese Technik (i. e. vaticinatio) ausgiebig benutzt wurde; ließ sich doch so die kräftigste Schmeichelei anbringen, ohne daß sie der Dichter in eigenem Namen auszusprechen brauchte."

[4]) cf. Nicol. Sophist. p. 51, 21 (Felten): *μετὰ δὲ ταῦτα τὰ ἀπὸ τοῦ γένους εἰς τὰ ἀπὸ τῆς γενέσεως ἥξομεν, οἷον <εἴ τι κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ὠδῖνος ἔξομεν λέγειν συμβεβηκὸς περὶ αὐτόν· οἷον> δὴ ἐπὶ τῆς Περικλέους λέγεται μητρὸς τῆς Ἀγαρίστης, ἢ δι' ἐνυπνίου προεῖπεν ὁ θεός, ὅτι λέοντα τέξεται, ἢ ἐπὶ τῆς Κύρου μητρὸς ... ἐπικλύσει τῇ ἐκ τοῦ ὀνείρου θρυλούμενον.*

futuram Romae magnitudinem laudibus effert comparans urbem cum palma, quae:

„et gravibus ramis totum protexerat orbem
contigeratque sua sidera summa coma."

Quod etiam historiarum scriptores hunc laudationis locum rhetoricum non neglegunt, mirari non licet, si historiam ipsam quoque ex rhetorica pendere spectamus. Verba enim Ciceronis[1]) de leg. I 2, 5: „(historia) opus unum oratorium maxime" vel Hermogenis 404, 10: *οὐχ ἡ ποίησις μόνη οὐδὲ μὴν ἡ λογογραφία, ἀλλὰ καὶ ἡ ἱστορία ἔχει πλεονάζοντα πάντα, πάντως δεῖ καὶ τοὺς ἱστοριογράφους ἐν τοῖς πανηγυρικοῖς τετάχθαι* qui legerit, facile cognoscet, quam artissime historici non solum in orationibus historiis insertis sed etiam in ipsa rerum gestarum narratione cum schola declamatoria cohaereant. Quae cum ita sint, in Livii et Dionysii narrationibus originis populi Romani hunc „ab signis vel huiusmodi praenuntiationibus" locum rhetoricum, quo ipso initio historiarum futuri imperii orbis terrarum laus cani poterat, inveniri mirum non est. Atque Dionys. Hal. Homeri versus, quos afferre ex usu scholastico est (dicit enim Menand. III 393, 5: *ἔχειν δὲ δεῖ σε μνήμην καὶ ποιητῶν ἐπισήμων Ὁμήρου, Ἡσιόδου, τῶν λυρικῶν*), vaticinationem imperii futuri esse interpretatur, cum narrat (I 53, 5): *πεποίηται γὰρ αὐτῷ ἐν Ἰλιάδι Ποσειδῶν προλέγων τὴν μέλλουσαν ἔσεσθαι περὶ τὸν Αἰνείαν καὶ τοὺς ἐξ ἐκείνου γενησομένους ἐπιφάνειαν ὧδέ πως·*

νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει
καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται[2]),

... (56, 4) *παισὶ δὲ αὐτοῦ* (sc. Aeneae) *καὶ ἐγγόνοις ἔσεσθαι ἀρχὴν μεγίστην καὶ ἐπὶ πλεῖστον χρόνον ἐκμηκυνθησομένην ὑπάρξαι.*

---

[1]) Quem Ciceronis locum citat Peter l. c. I p. 10. Conferas quoque Nordenum, Kunstprosa I 82: „Die Geschichtsschreibung ... ganz panegyrisch ... sie sollte ein *ἐγκώμιον* der Freunde, ein *ψόγος* der Feinde sein."

[2]) Ilias XX 307; similiter etiam Vergil. A. III 97 Apollinem Aeneae vaticinantem fingit haec verba:

„hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris
et nati natorum et qui nascentur ab illis."

Livius vero rhetorum praecepti memor Romulo[1]) in caelum sublato virum quendam in contione haec dicentem facit (I 16, 6): „Romulus ... prima hodierna luce caelo repente delapsus se mihi obvium dedit ... et ... nuntia, inquit, Romanis caelestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit.“ Etiam aliis primi libri nonnullis locis hanc praenuntiationem rhetoricam adhibet, ex quibus hic affero, quod ipsa quoque in „miris signis in nascendo (sc. rei publicae Romanae) ortis“ habenda est, narrationem, quam legimus lib. I 55, 5: „secutum aliud magnitudinem imperii portendens prodigium est: caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi (Capitolii) dicitur apparuisse. Quae visa species haud per ambages arcem eam imperii caputque rerum fore portendebat, idque ita cecinere vates, qui in urbe erant“[2]). Quam narrationem Florus ipse quoque, qui Livii epitomator nullam occasionem Romae laudandae praetermittit[3]), profert (I 1, 9).

De origine incolarum

Satis multa verba mihi fecisse videor de *τόπῳ ἀπ' οἰκιστοῦ*. Nunc pauca addamus de reliquis locis, a quibus originem urbis celebrari Menander (III 353, 6: *εἰς τοὺς οἰκήσαντας, ... εἰς τὰς μετα-*

---

[1]) Romulum ipsum quoque exemplum scholasticum huius *περὶ γενέσεως θαυμασίας* loci fuisse apparet ex his verbis Menandri III 371, 4: *τὸ περὶ γενέσεως ... εἴ τι σύμβολον γέγονε περὶ τὸν τόκον ἢ κατὰ γῆν ἢ κατ' οὐρανὸν .... καὶ ἀντεξέτασον τοῖς περὶ τὸν Ῥωμύλον καὶ Κῦρον ... καὶ γὰρ ἐκείνοις συνέβη τινὰ θαυμάσια.*

[2]) cf. Dionys. Hal. art. rhet. 1, 3 (p. 257, 17): *εἰ δὲ καὶ μῦθος εἴη λεγόμενός τις περὶ τῆς πόλεως, οὕτω ἂν καὶ πολλὴν γλυκύτητα ἔχοι ὁ λόγος* (id. 5, 5 [275, 24]).

[3]) Florum magis rhetorem quam historicum esse iam Ioannes Michael Heinzius: syntagm. opusc. p. 260 demonstravit (conferas quoque editionem Ottonis Iahn, Lips. 1852 praef. p. XLIV sqq. et C. Weyman: Arch. f. lat. Lex. XIV (1906) p. 41—50). Flori opusculum iam scriptores veteres panegyricum imperii Romani magis quam historiam putavisse apparet ex Augustini verbis de civ. dei III 19, qui eum in numero eorum habet „qui non tam narrare bella Romana quam Romanum imperium laudare instituerunt“ (cf. L. Spengel: Über die Geschichtsbücher des Florus, Abh. d. bayr. Ak. IX (1863) p. 334); Florus I 1, 3 ipse hoc confitetur: „non nihil, ut spero, ad admirationem principis populi collaturus.“

βολάς, εἰς τὰς αἰτίας, ἀφ' ὧν αἱ πόλεις οἰκοῦνται[1])) vult. Huc pertinere censemus, quod Romanos a Troianis ortos esse eorumque urbem celeberrimam erexisse scriptores nonnumquam praedicaverunt. Quemadmodum enim rhetores permagni aestimant hominem laudandum in patria celebri[2]), non barbara[3]) natum esse, ita in urbium quoque encomiis eruendum esse statuunt, utrum incolae Graeci an barbari sint. Itaque laudatores Romae hoc *ἀπὸ μεταβολῶν* argumento usi, de quo disserit Menand. III 356, 1: *ἐὰν μὲν ἀποικίαν, ὅτι ἀπὸ μεγίστης πόλεως ἀπῴκησαν καὶ ἐνδοξοτάτης*, urbem *ἀποικίαν* Troiae esse nonnumquam dicunt, ut Dio Chrysost. or. XI 142. Idemque ex sententiis, quales sunt: „Troia mater populi Romani" (Augustin. de civ. dei I 4) vel „Troia renascens" elucet, quam dictionem adhibitam invenimus a Propertio IV 1, 47:

„arma resurgentis portans victricia Troiae"

ibidem IV 1, 87:

„Dicam: Troia cades, et Troica Roma resurges"

Horat. c. III 3, 60:

„tecta velint reparare Troiae":

61: „Troiae renascens ... fortuna"

Germanic. Caes. ad Hect. tum. (P. L. M. vol. IV 102):

„Ilios en surgit rursus inclita"

Ovid. met. XV 431:

„Nunc quoque Dardaniam fama est consurgere Romam"

Ovid. f. I 523:

„victa tamen vinces, eversaque Troia resurges:
obruet hostiles ista ruina domos"

---

1) *τὸν εἰς τὸν χρόνον τόπον*, quem Menander praeter allatos in hac enumeratione habet, in fine totius *περὶ γενέσεως* loci tractare liceat. (cf. p. 40 sqq.)

2) Menand. III 353, 31: *Τοὺς δὲ οἰκήσαντας διαιρήσομεν μιᾷ μὲν τομῇ Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων.*

3) Aphthonius enim vituperat Philippum Macedonum regem his verbis (II 40, 26): *προῆλθε μὲν γὰρ ἔθνους, ὃ τῶν βαρβάρων καθίσταται χείριστον.*

similiter a poeta carm. Anth. Pal. IX 236:

Ἐς καλόν[1]) *ὤλετο πύργος ὁ Τρώϊος· ἡ γὰρ ἐν ὅπλοις*
ἠγέρθη κόσμου παντὸς ἄνασσα πόλις.

Idem denique apparet ex epigrammate quodam, in quo Troia inducitur haec dicens (Anth. Pal. IX 155):

εἰμὶ πάλιν βασίλεια. σὺ δ', ὦ τέκος, ἄτρομε Ῥώμη,
βάλλε καθ' Ἑλλήνων σῆς ζυγόδεσμα δίκης.

Maiores autem Graecos fuisse summa gloria habebatur, maxime scilicet a rhetoribus Graecis (cf. Dion. Hal. art. rhet. 6, 2 (p. 279, 7): *ἰτέον οὖν ἐπὶ τοὺς προγόνους . . . ὅτι Ἕλληνες)*. Itaque Dionysius Halic. historiarum scriptor, ut decus urbis[2]) amplificet, praedicat Romanos a Graecis, non a barbaris ortos esse (ant. I 5, 1): *περὶ μὲν τῶν οἰκισάντων τὴν πόλιν, οἵτινες ἦσαν . . . καὶ τίσι τύχαις χρησάμενοι τὰς πατρίους οἰκήσεις ἐξέλιπον, ἐν ταύτῃ δηλώσω τῇ γραφῇ, δι' ἧς Ἕλληνάς τε αὐτοὺς ὄντας ἐπιδείξειν ὑπισχνοῦμαι καὶ οὐκ ἐκ τῶν ἐλαχίστων ἢ φαυλοτάτων ἐθνῶν συνεληλυθότας.*

De mutationibus urbis

Sed haec de origine incolarum. In laudationibus autem *ἀπὸ μεταβολῶν* etiam id efferendum esse Menander adnotat (III 355, 15): *ἢ ἐπηυξήθη ἡ πόλις . . .* 20. *ὥσπερ ὅσας πρότερον κώμας οὔσας πόλεις πεποιήκασι βασιλεῖς.* Quod argumentum ei poetae et scriptores saepe usurpant, qui in narratione historiarum originem Romae attingentium antiquissimam et novam urbem opponunt. Hanc autem comparationem[3]) a poetis, qui Augusti temporibus florebant, multo magis quam a posterioribus adhibitam esse invenimus; nescio utrum

De novae et antiquae urbis comparatione

---

[1]) Similiter Menand. III 356, 12: *εἰ δὲ μετῳκισμένη εἴη ἡ πόλις, δεῖ σε δεικνύναι, ὅτι οὐ κατὰ συμφοράς, ἀλλὰ πρὸς κάλλος μεταβαλοῦσα τὸν τόπον, ὅτι μετοικισμένη μείζων . . . ἐγένετο.*

[2]) Laudes urbis in antiquitatibus scripturum se esse Dionysius ipse hoc capite (cf. I 3, 6 *περὶ πόλεως γράφω τῆς περιφανεστάτης)* profert; utitur enim eadem fere dispositione: 1) (I 5, 1) *περὶ μὲν τῶν οἰκησάντων τὴν πόλιν* 2) *περὶ δὲ τῶν πράξεων . . .* 3) *καὶ περὶ τῶν ἐπιτηδεύσεων,* quam rhetores commendant (cf. p. 5) in urbibus laudandis.

[3]) Comparationes ab omnibus fere rhetoribus praecipiuntur (cf. Hermog. p. 17, 2: *μεγίστη δὲ ἐν τοῖς ἐγκωμίοις ἀφορμὴ ἡ ἀπὸ τῶν συγκρίσεων, ἣν τάξεις, ὡς ἂν ὁ καιρὸς ὑφηγῆται,* similiter Nicolaus p. 53, 4; Cicer. de or. II, 348). In laudibus autem urbium eas exercendas esse docent Menand. III 386, 12: *σύγκρισιν ἐργάσῃ πόλεως πρὸς πόλιν* (idem

id factum sit, quod hi poetae ipsi viderunt, quantopere urbs ad id tempus inornata ab Augusto[1]) excoleretur, cum poetae posteriores urbem nisi exornatissimam non cognovissent, an quia studia rerum antiquarum ea aetate vigebant. Nam tales contentiones, quae vocibus „olim" et „nunc" vel similibus opponi solent, priusquam in urbis laudem translatae sunt, iam in Varronis libris occurrunt, qui scriptor dicit (de vita p. R. Non. 494, p. 792, 7 L.): „haec aedis, quae nunc est ... regis temporibus delubra parva facta est", id. (Non. 162, p. 239, 15): „quid inter hos Ioves intersit et eos, qui ex marmore ebore auro nunc fiunt."

Poetarum autem hanc veteris et novae urbis comparationem primus usurpat Vergilius, cum collem Capitolinum aetatis suae cum antiquissimis temporibus componit; canit enim (Aen. VIII 347):

„Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis."

Quem secuti sunt Propertius, Tibullus, Ovidius. Atque notissimum est Properti carmen IV 1, in quo Roma laudibus ornatur. In prioribus viginti circiter huius carminis versibus comparatio novae et vetustissimae urbis praevalet, cum in sequentibus descriptio antiquissimae aetatis primum locum obtineat. Quae contentionis ars quo magis eluceat, et in his Properti et in aliis, quos infra afferemus, versibus littera A veteris (olim), littera B novae urbis (nunc) descriptionem significabimus.

Propert. IV, 1, 1—20; 55—56:

„Hoc, quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est, B cf. Ovid f. V 93[2])
ante Phrygem Aeneam collis et herba fuit; A
atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo, B
Euandri profugae concubuere boves. A

III 427, 1) et Priscian. 25 (p. 557, 25): „per loca laudationis comparamus et urbem urbi", Dion. Hal. art. rhet. 7, 5 (p. 289, 22): *ἔτι καὶ τὴν πόλιν παραβαλεῖς πρὸς τὰς ἄλλας.*

[1]) cf. Sueton. August. 28: „Urbem excoluit adeo, ut iure sit gloriatus marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset," et Iordanum: Topographie von Rom I 1, p. 18.

[2]) In his veteris urbis descriptionibus Ovidius permulta debet Propertio et Tibullo; tales imitationes eo modo hic significamus, ut versibus Ovidianis similes Tibulli, Properti et horum versibus Ovidi imitationes adscribantur.

AB fictilibus crevere deis haec aurea templa,
A nec fuit obprobrio facta sine arte casa,
A(B) Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,
A(B) et Tiberis nostris advena bubus erat.
A qua gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
unus erat fratrum maxima regna focus.
B curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
A pellitos habuit rustica corda patres.
bucina cogebat priscos ad verba Quirites:
centum illi in prato saepe senatus erat.
cf. Ovid a. a. I 103, 4 B nec sinuosa cavo pendebant vela theatro,
pulpita sollemnis non oluere crocos.
nulli cura fuit externos quaerere divos,
A cum tremeret patrio pendula turba sacro,
annuaque accenso celebrare Parilia faeno,
B qualia nunc curto lustra novantur equo.

— — — — — — — — — — —

A optima nutricum nostris, lupa Martia, rebus,
B qualia creverunt moenia lacte tuo!"

Etiam subtilius idem poeta comparationem novae et veteris urbis perficit

lib. IV 4, 9—14:

A „Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
cum quateret lento murmure saxa Iovis,
B atque ubi nunc terris dicuntur iura subactis,
A stabant Romano pila Sabina foro?
AB murus erant montes; ubi nunc est curia saepta,
A bellicus ex illo fonte bibebat equus."

Quam contentionem rhetoricam in Tibulli quoque carminibus legimus, etiamsi ab hoc poeta non tam accurate exculta sit quam a Propertio. Tamen hic affero, praesertim cum hos versus Ovidius in laudibus Romae antiquissimae saepe imitatus sit, Tibull. II 5, 21—34, 55—56:

„nec fore credebat Romam, cum maestus ab alto
Ilion ardentes respiceretque deos.

Romulus aeternae nondum formaverat urbis
moenia, consorti non habitanda Remo;

sed t u n c pascebant herbosa Palatia vaccae — cf. Ovid f. I 243; V 639. f. V 93
et stabant humiles in Iovis arce casae.

lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae
et facta agresti lignea falce Pales,

pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
garrula silvestri fistula sacra deo,

fistula, cui semper decrescit arundinis ordo:
nam calamus cera iungitur usque minor.

at qua Velabri regio patet, ire solebat — cf. Ovid f. II 291
exiguus pulsa per vada linter aqua.

— — — — — — — — — — — —

carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas
dum licet: hic magnae iam locus urbis erit." — cf. Ovid f. II 280

Maxime autem dignus est, qui hic commemoretur, O v i d i u s, qui poeta etiam magis quam Propertius usum comparationis, quam item vocibus, quae sunt „nunc" et „olim" vel similibus, inducit, perficit atque absolvit. Cuius artis nonnulla exempla afferimus:

O v i d. f. I 243:

„H i c u b i n u n c R o m a e s t, incaedua silva virebat, — cf. Tibull. II 5, 25
tantaque res paucis pascua bubus erat.
Arx mea collis erat, quem volgus nomine nostro
nuncupat, haec aetas Ianiculumque vocat.

idem f. V 93:

„H i c u b i n u n c R o m a e s t, orbis caput, arbor et herbae — cf. Tibull. II. 5, 20
et paucae pecudes et casa rara fuit."

idem f. II 280:

„H i c u b i n u n c u r b s e s t, t u m locus urbis erat". — cf. Tibull. II 5, 56

— — — — — — — — — — — —

idem f. II 391:

cf. Tibull II 5, 33

„Hic ubi[1]) nunc fora sunt, lintres errare videres,
quaque iacent valles, Maxime Circe, tuae."

Ex his versibus, qui et idem initium et eundem fere sensum habent, Ovidi ratio versus componendi luculenter intellegi potest; variat enim poeta in hac laudis Romae parte saepe non solum Tibulli et Properti locos, sed etiam suos versus repetit[2]). Quod non ingenii inopiam sed sermonem declamatorium esse Leo[3]) ostendit, ubi hanc Ovidi versus iterandi rationem ad ipsam artem scholasticam refert et ad eam quidem exercitationis partem, quae sit de paraphrasi.

Sed alios quoque similes versus Ovidianos huc pertinentes citemus, e quibus eadem comparationis ars declamatoria elucet. Ovid. f. VI 261

cf. Prop. IV 1, 1 — BA

„Quae nunc aere vides, stipula tum tecta videres,
et paries lento vimine textus erat.
B hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestae,
A tunc erat intonsi regia magna Numae."

---

1) Simili versus initio usus Iuvenalis 3, 12:
„hic, ubi nocturnae Numa constituebat amicae,
nunc sacri fontis nemus et delubra locantur",
eadem antiquarum novarumque rerum oppositione rhetorica Romam vituperat: Nam etiam obtrectatores Romae similia rhetorum praecepta ad vituperationem urbis pertinentia secutos esse verisimile est. Nam vituperatio, quae eidem generi epidictico adnumeranda est (cf. Hermog. p. 15, 8: *μὴ ἀγνόει δέ, ὅτι καὶ τοὺς ψόγους τοῖς ἐγκωμίοις προσνέμουσιν, ἤτοι κατ᾽ εὐφημισμὸν ὀνομάζοντες, ἢ ὅτι τοῖς αὐτοῖς τόποις ἀμφότερα προάγεται* et Priscian. 20. p. 556, 20), in schola exercebatur; conferas autem quaeso accurata *περὶ ψόγου* praecepta in libris rhetoricis Aphthonii (II 40, 6—42, 19), Nicolai (p. 53, 20 sqq.) exstantia et adnotationes, quas proferunt Quintil. inst. or. III 7 in capite „de laude et vituperatione" inscripto et Theon II 109, 19 sq., ubi *περὶ ἐγκωμίου καὶ ψόγου* disseritur.

Iuvenalem autem, cum ad studia declamatoria praecipue inclinet, id quod demonstraverunt Ludovicus Bergmueller: Quaestiones Iuvenalianae, act. sem. Erl. IV 1886 (p. 395—446: „de rhetorica Iuvenalis disciplina"), Arminius Peter l. c. I, p. 31 sq., de Dekker: Iuvenalis declamans 1913, etiam hanc Romae vituperationem tractantem nonnulla rhetorum praecepta secutum esse verisimile est et nescio an eadem atque Lucianum in Nigrino, cui necessitudinem quandam cum tertia illa Iuvenalis satira esse ostendit Rudolfus Helm: Lucian u. Menipp 1906, p. 60, 3.

2) Lueneburgius: (de Ovidio sui imitatore, diss. 1888) tales sui imitationes Ovidi collegit, versus autem hic allatos neglexit.

3) Ind. lect. Gotting. 1892/93 p. 9.

idem f. V 639:

„Haec loca desertas vidi sine moenibus herbas, A
pascebat sparsas utraque ripa boves.
et quem nunc gentes Tiberim noruntque timentque, B
tunc etiam pecori despiciendus erat.“ A

idem f. III 179:

„Parva fuit, si prima velis elementa referre, A
Roma; sed in parva spes tamen huius erat. B
moenia iam stabant, populis angusta futuris, B
credita sed turbae tunc nimis ampla suae.“ A

Antiquissimam Romuli urbem novae Augusti opponit Ovidius versibus insequentibus, ex quibus omnium maxime poetae rhetorica ars comparationis intellegitur:

Ovid. f. II 133:

„Romule, concedes. facit hic tua magna tuendo B
moenia: tu dederas transilienda Remo. A
te Tatius parvique Cures Caeninaque sensit:
hoc duce Romanum est solis utrumque latus. B
tu breve nescio quid victae telluris habebas: A
quodcumque est alto sub Iove, Caesar habet. B

— — — — — — — — — — —

141. vis tibi grata fuit: florent sub Caesare leges. AB
tu domini nomen, principis ille tenet. AB
te Remus incusat: veniam dedit hostibus ille. AB
Caelestem fecit te pater, ille patrem.“ AB

Propertium vero imitatus poeta novam urbem cum antiquissima comparat eodem loco rhetorico ad summam subtilitatem perfecto: Ov. art. a. III 113:

„Simplicitas rudis ante fuit: nunc aurea Roma est AB
et domiti magnas possidet orbis opes.
aspice quae nunc sunt Capitolia, quaeque fuerunt: BA
alterius dices illa fuisse Iovis.
curia concilio nunc est dignissima tanto: B cf. Prop.
de stipula Tatio regna tenente fuit. A IV 1, 11

cf. Prop. IV 1, 3 B quae nunc sub Phoebo ducibus Palatia fulgent,
A quid nisi araturis pascua bubus erant."

Etiam scriptores pedestres hanc vetustissimae et novae urbis contentionem adhibuerunt; atque primum in Livii magna Camilli oratione hoc ἀπὸ συγκρίσεως argumentum legimus his expressum verbis (lib. V 53, 9): „Maiores nostri, convenae pastoresque, cum in his locis nihil praeter silvas paludesque esset, novam urbem tam brevi aedificaverunt: nos, Capitolio atque arce incolumi, stantibus templis deorum, aedificare incensa piget?" ac similiter Pomponius Mela, de situ orb. II 4, 60, ubi eadem, quam poetas saepe usurpavisse intelleximus, sententiarum collocatio vocibus „quondam" et „nunc" inducta invenitur: „Roma quondam a pastoribus condita, nunc si pro materia dicatur, alterum opus"[1]) et Jordanes Rom. 138: „Igitur pastorum quondam casa urbs enituit."

Idem autem argumentum exstat, ubi vicum minimum urbem maximam et dominam orbis terrarum factum esse praedicatur.

---

[1]) Eadem ratione laudes novorum aedificiorum aliorumque Romae operum comparatione antiquorum amplificare student
Martial. X 28, 3:
„Pervius exiguos habitabas ante penates,
plurima qua medium Roma terebat iter;
nunc tua Caesareis cinguntur limina donis,
et fora tot numeras, Iane, quot ora geris."
idem VIII 65, 1:
„Hic ubi Fortunae Reducis fulgentia late
templa nitent, felix area nuper erat."
(idem ep. 2, 1:
„Hic ubi sidereus proprius videt astra colossus
et crescunt media pegmata celsa via,
invidiosa feri radiabant atria regis
— — — — — — — — — — — —
Hic ubi conspicui venerabilis amphitheatri
erigitur molos, stagna Neronis erant.
Hic ubi miramur velocia munera thermas
abstulerat miseris tecta superbus ager")

Paneg. Lat. IV 35, 4: „sed illa ipsa, quae antehac magnificentissima putabantur, nunc auri luce fulgentia indecoram maiorum parsimoniam prodiderunt." Plinius N. H. XXXVI 111, ubi Gai et Neronis domus aurea cum maiorum agris, qui „minorem modum obtinere quam sellaria illorum" componitur. (cf. Statium S. IV 3, 27—37; II 2, 30—34; 54.)

Quam sententiam proferunt Dionys. Hal. ant. I 31, 3: *οἱ Ἀρκάδες ... αἱροῦνται λόφον ὀλίγον ἀπέχοντα τοῦ Τεβέριος ... καὶ κατασκευάζονται πρὸς αὐτῷ κώμην βραχεῖαν, ... ἣν ἔμελλε τὸ πεπρωμένον σὺν χρόνῳ θήσειν ὅσην οὔθ' Ἑλλάδα πόλιν οὔτε βάρβαρον κατά τε οἰκήσεως μέγεθος καὶ κατὰ δυναστείας ἀξίωσιν καὶ τὴν ἄλλην ἅπασαν εὐτυχίαν .... πόλεων μάλιστα πασῶν μνημονευθησομένην*[1]), Iulian. conviv. 320 A, ubi Caesar imperium laudat his verbis: *Ἐμοὶ μὲν ... γενέσθαι ἐν τηλικαύτῃ συνέβη πόλει μετὰ τοσούτους ἄνδρας, ὥστε τὴν μὲν ὅσων οὐ πώποτε ἄλλη πόλις ἐβασίλευσε βασιλεύειν, ταῖς δὲ ἀγαπητὸν τὸ καὶ τὰ δεύτερα κομίσασθαι. τίς γὰρ πόλις ἀπὸ τρισχιλίων ἀνδρῶν ἀρξαμένη ἐν οὐδὲ ὅλοις ἔτεσιν ἑξακοσίοις*[2]) *ἐπὶ γῆς ἦλθε πέρατα τοῖς ὅπλοις;*

Denique hic breviter commemoramus etiam exiguitatem et infirmitatem antiquissimae Romae novae urbi ac imperio Romano a poetis scriptoribusque interdum oppositam esse; conferas autem quaeso Senec. epigr. 33:

„Ultima cingebat Thybris tua, Romule, regna,
hic tibi finis erat, religiose Numa;

— — — — — — — — — —

at nunc Oceanus geminos interluit orbes:
pars est imperio, terminus ante fuit."

similiter Ovidius ex Pont. I 3, 81:

„Quid referam veteres Romanae gentis, apud quos
exulibus tellus ultima Tibur erat?",

---

[1]) Valerius Max. II 8: „Disciplina militaris ... ortum e parvula Romuli casa totius terrarum orbis fecit columen" et Iulius Valerius I 26 (p. 36, 10 Kuebler): „ipsa quoque domina omnium gentium Roma quattuordecim stadiis et pedibus centum atque viginti primitus fuit."

[2]) Alii quoque scriptores admirantur, quod Roma tam brevi tempore orbis imperio potita sit: Sallust. Cat. 7, 3: „sed civitas incredibile memoratu est adepta libertate quantum brevi creverit", (Augustin de civ. dei V 12 hunc Sallusti locum affert his verbis: „idem auctor in Romanorum laudibus posuit, quod „civitas incredibile ... eqs.) Diodor. XXXVII 3: *Ὅτι τὸ παλαιὸν οἱ Ῥωμαῖοι νόμοις τε καὶ ἀγωγαῖς ἀρίστοις χρώμενοι κατ' ὀλίγον ηὐξήθησαν ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε ἡγεμονίαν ἐπιφανεστάτην καὶ μεγίστην τῶν μνημονευομένων κατακτήσασθαι.*

quocum loco conferri possunt Florus I 5, 7: „Tibur nunc suburbanum, et aestivae Praeneste deliciae nuncupatis in Capitolio votis petebantur. idem tunc Faesulae, quod Carrhae nuper, idem nemus Aricinum, quod Hercynius saltus, Fregellae quod Caesoriacum, Tiberis quod Euphrates" (idem apud Iordan. Rom. 125) et Propert. IV 1, 35:

„et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
hac ubi Fidenas longa erat isse via."

et Sil. Ital. XV, 90:

„Aspice — ne longe repetam — modo Roma minaci
impar Fidenae contentaque crescere asylo,
quo sese extulerit dextris."

De tempore (Roma aeterna)

Quoniam laudes Romae *εἰς τοὺς οἰκήσαντας καὶ εἰς τὰς μεταβολάς* spectantes iam ad finem perduximus, restat, ut tertium locum, a quo origo urbis celebrata est, *τὸν εἰς τὸν χρόνον τόπον* (cf. Menand. III 354, 22: *Τρίτον ἔφαμεν τοῦ γένους εἶναι τὸν χρόνον*) nonnullis verbis tractemus. Ex omnibus autem Menandri de hoc temporis argumento praeceptis ad hanc quaestionem tantummodo haec verba (III 355, 3): *φήσεις... ὅτι αἰώνιός ἐστιν ἡ πόλις, ὥσπερ οἱ θεοί* pertinent. Quae in ipsam Romam videntur facta esse, cum haec omnium urbium sola cognomine „aeterna" sit ornata[1]. Sed hoc Romae cognomen quo tempore ortum sit, a quibus poetis et scriptoribus adhibitum sit, accurate demonstravit F. G. Moorius[2]. Qui vir doctissimus, cum plurimos locos et ex poetarum scriptorumque libris et ex nummis collegerit, in quibus dictio quae est: „Roma aeterna" invenitur, alios tamen locos, quibus compluribus verbis haec aeternitas urbis effertur, fere omnino neglexit. Investigabimus igitur, quomodo illae laudationes Romae aeternitatem urbis imperiique significantes usurpatae sint.

Atque primum quidem hanc sententiam protulisse invenimus Ciceronem pro Rab. 12, 33: „si immortalem hanc civitatem

---

[1]) Gregorovius: Geschichte der Stadt Rom im Mittelalter. 1859, vol. I, p. 11.

[2]) F. G. Moore: Urbs Aeterna and urbs sacra, in Transactions of the American Philological Association, vol. XXV (1894), 34—60.

Alia nonnulla affert Fr. Cumont: L'éternité des empereurs romains, Rev. d'hist. et de litter. relig. I, 1896, p. 449, 3.

esse vultis, si aeternum imperium, si gloriam sempiternam manere, (nobis a nostris cupiditatibus... est cavendum)", quem sequitur Livius IV 4, 4: „Quis dubitat „quin in aeternum urbe condita..." (Moore, p. 47); V 7, 10: „beatam urbem Romanam et invictam et aeternam" (Moore, p. 47); VI 23, 7: „civitas, quam immortalem esse decet"; XXVIII 28, 11: „urbem auspicato dis auctoribus in aeternum conditam" (Moore, p. 47), quamquam neuter eorum adiectivum „aeternus" fixa quadam formula cum urbis nomine coniungit.

Poetarum primus imperium Romanum non mutabile sed semper duraturum esse praedicat Vergilius, cum Iovem praenuntiatione rhetorica (cf. supra p. 28 sq.) Romanos laudantem fingit (Aen. I 278):

„his ego nec metas rerum nec tempora pono:
imperium sine fine dedi."

Quem Vergili versum in usum scholae declamatoriae translatum esse[1]) censemus, cum eum paulo commutatum legamus apud Sulpiciam 33 (P. L. M. V, 95):

„Haut frustra Veneri mendaxque Diespiter olim
»imperium sine fine dedi« dixisse probatur",

---

[1]) Qui poeta temporibus posterioribus non solum apud poetas, sed etiam in rhetorum scholis permultum valebat (cf. Iulii Rufiniani librum rhetoricum „de schematis lexeos" inscriptum, (Halm, p. 48—62), in quo omnia fere orationis ornamenta exemplis e Vergili versibus sumptis probantur) et ipse quoque rhetor habebatur, id quod elucet cum ex Flori libello, cuius titulus est: „Vergilius orator an poeta" (p. 183 ed. Roßbach), quocum Helmius N. Jb. XI (1908) 484 componit hanc sententiam Macrobii V I, 1: „Consono murmure Vergilium non minus oratorem quam poetam habendum pronuntiabant," tum ex his verbis Claud. Donat. comm. in Aen. p. 4, 24 (Georgii): „invenies in poeta rhetorem summum atque intelleges Vergilium non grammaticos, sed oratores praecipuos tradere debuisse", p. 6, 15: „quo fit, ut Vergiliani carminis lector rhetoricis praeceptis instrui possit."

Quae cum ita sint, cave credas Vergilium, etsi eum saepe sententias et totam dispositionem e rhetoricis desumpsisse constat (cf. Ed. Norden: Ein Panegyricus auf Augustus in Vergils Aeneis, Mus. Rhen. LIV (1899), 464 sq., id. comm. in Aen. VI passim, R. Heinze: Virgils epische Technik², p. 428 sqq.), omnes dictiones, quas similiter expressas in scholasticorum recentiorum praeceptis legimus, ad artificia oratoria composuisse; sed qua erat auctoritate in schola, ipse quoque in argumentis exornandis saepe rhetores videtur adiuvisse.

Dracontium carm. prof. 8, 198:

„Fata manent conscripta semel: sunt verba Tonantis,
Imperium sine fine dabit."

Prudent. in Symm. I 542:

„Denique nec metas statuit, nec tempora ponit,
Imperium sine fine docet[1])."

Neque minus rhetorice quam a Vergilio a Dionysio Hal. oraculo, quod Dardano datur, aeternitas urbis praenuntiatur (ant. I 68, 4): *ἡ δὲ πόλις σοι >ἔσται ἀπόρθητος τὸν ἀεὶ χρόνον ἤματα πάντα<*, qui scriptor eodem utitur laudationis loco (II 3, 8), ubi Romulus haec profert: *ταύτας (τὰς τιμὰς)... οὔτε ὁ πάντα μαραίνων τὰ καλὰ χρόνος ἀφαιρήσεταί με... ἀλλὰ καὶ ζῶντι καὶ τὸν βίον ἐκλιπόντι τούτων ὑπάρξει μοι τῶν τιμῶν παρὰ πάντα τὸν λοιπὸν αἰῶνα τυγχάνειν*, quocum loco carmen Melinnus poetriae[2]), quod exstat in Stobaei flor. III 7, 12, comparandum est, ubi aeternitas Romae similibus verbis celebratur:

13. *πάντα δὲ σφάλλων ὁ μέγιστος αἰὼν
καὶ μεταπλάσσων βίον ἄλλοτ' ἄλλως
σοὶ μόνᾳ πλησίστιον οὖρον ἀρχᾶς
οὐ μεταβάλλει*[3]).

Quam late pervagata fuerit haec aeternitatis urbis vel imperii laudatio, ex his quoque locis apparet, quos legimus apud: Hor. c. saec. 65

---

[1]) Augustinus denique hunc Vergili versum refert ad aeternitatem imperii caelestis, cum dicit (de civ. dei II 29): „Nunc iam caelestem (sc. patriam) arripe, pro qua minimum laborabis, et in ea veraciter semperque regnabis. Illic enim tibi non Vestalis focus, non lapis Capitolinus, sed Deus unus et verus:
„nec metas verum nec tempora ponit
Imperium sine fine dabit . ."

[2]) Dubium autem est, quo tempore Melinno scripserit. Cum enim Theodorus Birt: de Romae urbis nomine, Ind. schol. Marp. sem. hib. 1887/88, p. XII, 1, quem sequitur H. Usener: Mus. Rhen. vol. LV (1900), p. 290, carmen inter Horati et Stati aetatem compositum esse ex structura versuum suspicetur, U. de Wilamowitz: Timotheos, Die Perser, Leipzig 1903, p. 71, 1, cui assentitur B. Keil: Nachr. d. Gött. Ges. d. Wiss. 1913, p. 17, res his versibus laudatas temporibus liberae rei publicae Romanae aptiores esse ratus poetriam ante bellum Mithridaticum floruisse contendit.

[3]) Conferas quoque eiusdem carminis versus 5, 6:
„*σοὶ μόνᾳ πρέσβιστα, δέδωκε Μοῖρα
κῦδος ἀρρήκτω βασιλῆον ἀρχᾶς.*

„si Palatinas videt (sc. Apollo) aequus aras,
remque Romanam Latiumque felix
alterum in lustrum meliusque semper
prorogat aevum“,

Valer. Maxim. V 3, 1: „(Caesar) aeternum Romano imperio spiritum ingeneraverat“, Tacit. A. III 6: „principes mortales, rem publicam aeternam esse“, Plutarch. de fort. Rom. 324 B: ὁ δὲ Ῥωμαίων μέγας δαίμων οὐκ ἐφήμερος πνεύσας[1]) ... οὐδὲ ταχὺ παυσάμενος .. ἀλλὰ ... παραμείνας βέβαιος, Panegyr. Lat. IV 6, 5: „Constituta enim et in perpetuum Roma fundata est“ (cf. Moore p. 48), Ammian. Marc. XIX 10, 4: „divini arbitrio numinis, quod auxit ab incunabulis Romam perpetuamque fore spopondit“ (Moore p. 49), Themist. or. XIII 178 B: ἡ παναγὴς καὶ ἱερὰ πολιτεία, ἣν μετὰ τοῦ θεοῦ πολιτεύεσθε ὅσαι ἡμέραι καὶ ὅσαι ὧραι ὑπὲρ τοῦ ἀνθρωπίνου φύλου, οὗ προστάται ἐλάχετε εἶναι τὸν ἅπαντα χρόνον, πάλαι μὲν τοῖς ὅπλοις, νῦν δὲ ἀμείνονι φυλακτηρίῳ τῇ ἁγιστείᾳ.

Sed alio quoque modo, quo saepe diuturnitas rei significata est, aeternitatem Romae laudatam esse invenimus. Nec prius enim quam homines et mundum interituram Romam esse praedicant hi scriptores: Dionys. Hal. ant. I 31, 3: (Arcades vicum parvum condunt) ἣν ἔμελλε τὸ πεπρωμένον σὺν χρόνῳ θήσειν ... χρόνον τε ὁπόσον ἂν ὁ θνητὸς αἰὼν ἀντέχῃ (integram futuram esse), Ammian. Marc. XIV 6, 3: „victura, dum erunt homines, Roma“ (Moore p. 49), Dio. excerpt. Vat. p. 154: Σιβύλλης χρησμὸς ἐφάσκετο Καπιτώλιον κεφάλαιον ἔσεσθαι τῆς οἰκουμένης μέχρι τῆς τοῦ κόσμου καταλύσεως, Aristid. XXVI 109, ubi rhetor eadem loquendi ratione usus orat, ut Roma aeterna sit[2]): καὶ δὴ .. θεοὶ ... διδόντων τὴν ἀρχὴν τήνδε καὶ πόλιν τήνδε θάλλειν δι' αἰῶνος καὶ μὴ παύεσθαι πρὶν ἂν μύδροι τε ὑπὲρ θαλάττης πέσωσιν καὶ

1) cf. Melinn. 15: πλησίστιον οὖρον ἀρχᾶς.

2) Rhetorum praecepta secutus, qui in peroratione encomiorum semper optandum esse docent, ut vir laudandus diu regat vel vivat; praecipit enim Menand. III 377, 28: ἐπὶ τούτοις εὐχὴν ἐρεῖς αἰτῶν παρὰ θεοῦ εἰς μήκιστον χρόνον προελθεῖν τὴν βασιλείαν, — 417, 29: αἰτοῦντες χρόνους εἰς ἀρχὴν πλείονας.

δένδρα ἦρι θάλλοντα παύσηται. Neque addere dedecet Horatium c. III 3, 37—44:

„dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exules
in parte regnanto beati;
dum Priami Paridisque busto
insultet armentum et catulos ferae
celent inultae, stet Capitolium
fulgens triumphatisque possit
Roma ferox dure iura Medis.“

Alios deinde poetas eodem laudandi modo aeternitatem Romae celebrantes afferimus hos: Silium Ital. VII 476:

„Dum cete ponto innabunt, dum sidera caelo
lucebunt, dum sol Indo se litore tollet,[1])
hic regna et nullae regnis per saecula metae“,

Claudian. bell. Goth. 54:

„Urbs aequava polo, tum demum ferrea sumet
ius in te Lachesis, cum sic mutaverit axem
foederibus natura novis, ut flumine verso
inriget Aegyptum Tanais, Maeotida Nilus,
Eurus ab occasu, Zephyrus se promat ab Indis
Caucasiisque iugis calido nigrantibus Austro
Gaetulas Aquilo glacie constringat harenas.“

Qui poeta his versibus, quamquam urbs iam a Gothis deleta et imperium Romanum maximo periculo obrutum erat, vehementissime Romam aeternam futuram esse praedicat[2]).

Rutilius autem fiducia diuturnitatis imperii impetu Gothorum

---

[1]) Qua dicendi ratione in nostris quoque litteris nonnumquam aeternitas rei alicuius circumscribitur; conferas enim Arndtii versus illos illustrissimos:

„So lange rollet der Jahre Rad,
So lange scheinet der Sonnenstrahl,
So lange die Ströme zum Meere reisen,
wird noch der späteste Enkel preisen
die Leipziger Schlacht.“

[2]) Rectissime autem de his verbis dicit Gregorovius l. c. vol. I p. 123: „Diese kühnen Apostrophen waren nur verlarvte Seufzer entsetzlicher Furcht.“

labefacta Romae aeternitatem ipsam celebrare veritus tantummodo haec rogare audet (lib. I 145):

„Aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet,
altricemque suam fertilis orbis alat",

idem 137:

„Quae restant, nullis obnoxia tempora metis,
dum stabunt terrae, dum polus astra feret[1])."

Cum hanc de aeternitate urbis imperiique laudem tantopere pervagatam esse cognoverimus, non miramur, quod illud „urbs aeterna", quod Tibullum primum in formulae vim redegisse Moorius ostendit, brevi tempore omnium in ore ac sermone fuerit et ab Hadriani circiter aetate publicum epitheton Romae facta sit[2]).

[1]) Huc quodammodo ea quoque loquendi ratio pertinet, qua ipsa aeternitas Romae comprehenditur, cum quid poetae perpetuo futurum esse eo affirmant, ut addant verba qualia „dum Roma stabit". Atque nonnulla exempla huius dicendi usus (quem inde a Vergili aetate formulae vim assecutum esse adnotat Vollmerus ad Stat. silv. I 6, 102), affere liceat: Vergil. Aen. IX 446:

„Fortunati ambo! siquid mea carmina possunt,
nulla dies umquam memori vos eximet aevo,
dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
accolet imperiumque pater Romanus habebit",

Horat. c. III 30, 7:

„usque ego postera
crescam laude recens, dum Capitolium
scandet cum tacita virgine pontifex",

Ovid. tr. III 7, 51:

„Dumque suis septem victrix de montibus orbem
prospiciet domitum Martia Roma, legar",

id. am. I 15, 25:

„Tityrus et segetes Aeneïaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit",

Stat. silv. I 6, 100:

„dum montes Latii paterque Thybris,
dum stabit tua Roma dumque terris
quod reddis Capitolium manebit",

id. silv. I 1, 93:

...... „stabit, dum terra polusque,
dum Romana dies."

(Cum hoc Stati versu conferas Rutil. I 133 et Dracont. c. 7, 23: „Romana in saecula.")

[2]) Iordan: Forma Urbis Romae proleg. p. 8 et Wissowa: Religion u. Kultus der Römer [2], p. 341; 341, 2.

Poetas autem, qui hanc formulam adhibuerunt, semper vocem „aeterna“ — id, quod non mirum — eodem versus pede posuisse invenimus;

Tibull. II 5, 23 „Romulus aeternae nondum formaverat urbis (moenia)“,
Ovid f. III 72 „Urbs erat, aeternae cum pater urbis ait“,
Symmach. ep. I 2, 5 „Grandior, aeterno complebat nomine Romam“,
Ausonium XV 1, 1 „Ignota aeternae ne sint tibi tempora Romae“[1]),
Ausonium XV 2, 3 „Haec erit aeternae series ab origine Romae“,
Ausonium XV 4, 1 „Urbis ab aeternae deductam rege Quirino“,
Dracont. 7, 23 „Ut daret aeternum Romana in saecla Quirinum.“

Scriptorum pedestrium hanc dictionem saepissime adhibent Ammianus Marcellinus (XIV 6, 1; XV 7, 1; XVI 10, 14; XIX 10, 1; XXIII 3, 3; XXVI 3, 1; XXVIII 1, 1; 1, 56; XXIX 6, 17; quibus locis a Moorio citatis adiciamus: XXI 12, 24; XXII 9, 3; XXIII 1, 4; XXV 10, 5) et Symmachus (ep. II 78; III 55; X 21, 7; 25, 3; 38, 5; 40, 4. 5;) praeterea Frontin. de aquis 88; Panegyr. Lat. XII (IX) 16, 2; Cod. Theodos. XIV 2, 1; 22, 1; XV 1, 11; 5, 4; XI 2, 2; XIV 6, 3; 1, 3; 4, 6; 3, 19; 2, 3) auct. cosmogr.[2]) 25; 53; 54; 56 (Geogr. L. M. Riese, p. 83, 102 sq.).

3. De forma urbis.

Iam vero tota de originis Romae laudibus quaestione ad finem perducta nonnulla dicemus de loco *ἀπὸ σχήματος* vel *κόσμου τῆς πόλεως*, quem cum Menander non propriam urbis encomii partem esse neque praedicandum esse nisi in peroratione (cf. Menand. III 386, 21) vel occasione data doceat, Dionysius praecipue laudibus efferendum esse commendat (art. rhet. 1, 3 p. 257, 13): *(ἐρεῖς) ὅσα περὶ κόσμου (τῆς πόλεως), οἷον ἱερῶν ἢ τῶν ἐν τούτοις ἀναθημάτων, δημοσίων οἰκοδομημάτων, ἰδιωτικῶν.* Accuratius autem, quid hoc argumento comprehendatur, disserit Menander III 386, 21: *ἥξεις ἐπὶ τοὺς ἐπιλόγους, ἐν οἷς διαγράψεις αὐτὸ τὸ σχῆμα τῆς πόλεως, καὶ ἐρεῖς στοάς, ἱερά, λιμένας ... ἵππων δρόμους ... λουτρῶν ἀπολαύσεις,*

---

[1]) rec. R. Peiper, Lips. 1886.
[2]) Hunc auctorem Moorius neglegit.

ὑδάτων ἐπιρροάς, ἄλση ἐν αὐτῇ τῇ πόλει, τὰ περὶ τὴν πόλιν ... καὶ γὰρ ταῦτα συντελεῖ πρὸς κόσμον τῇ πόλει.

Atque primum quidem de eis locis disseremus, quibus magnitudo urbis eiusque aedificiorum praedicata est; quam laudem commendat Dionys. Hal. art. rhet. 1, 3 (p. 257, 10): *ἁρμόσει δὲ καὶ περὶ μεγέθους (τῆς πόλεως) λέγειν,* idem 5, 5 (p. 276, 3): *μετὰ ταῦτα περὶ μεγέθους τῆς πόλεως (λέγειν σε δεῖ).* Verbosissime autem de amplitudine urbis dicit Aristides XXVI 6—9, ubi primum, id quod laude etiam dignius videtur esse, quam quod praecipit Menand. III 351, 4: *δεῖ ἐπαινεῖν, ὅτι ἐνὶ ὀφθαλμῷ ἡ πόλις φαίνεται,* Romam ex nullo loco oculis totam comprehendi posse contendit (p. 93, 3 Keil): *τίς γὰρ ἂν τοσάσδε ὁρῶν κορυφὰς κατειλημμένας ἢ πεδίων νομοὺς ἐκπεπολισμένους ἢ γῆν τοσήνδε εἰς μιᾶς πόλεως ὄνομα συνηγμένην*[1]*, εἶτα ἀκριβῶς κατεθεάσατο; ἀπὸ ποίας τοιαύτης σκοπιᾶς*[2]. Similem sententiam profert Claudianus[3] in magno Romae encomio (Stilich. III 130 sq.), in quo nullum fere versum non ex arte rhetorica petitum esse cognoscemus; dicit enim III 131:

De magnitudine urbis

(Roma) „Qua nihil in terris complectitur altius aether,
cuius nec spatium visus nec corda decorem
nec laudem vox ulla capit."

---

[1]) cf. Aristot. Pol. III 1, 12, ubi amplitudo Babylonis similiter tollitur: *ὁμοίως δὲ καὶ τῶν τὸν αὐτὸν τόπον κατοικούντων ἀνθρώπων πότε δεῖ νομίζειν μίαν εἶναι τὴν πόλιν; .... τοιαύτη δ' ἴσως ἐστὶ καὶ Βαβυλὼν καὶ πᾶσα ἥτις ἔχει περιγραφὴν μᾶλλον ἔθνους ἢ πόλεως.*

[2]) Quocum loco minime congruit, quod Martialis IV 64, 11 scribit:

„Hinc septem dominos videre montes
et totam licet aestimare Romam,
Albanos quoque Tusculosque colles",

ex quibus versibus apparet Aristidem augendo fidem non servavisse secutum notissimum scholae declamatoriae praeceptum, quod tradit Aristoteles rhet. I 9 (Rh. Gr. I 38, 18 Spengel): *πίπτει δ' εὐλόγως ἡ αὔξησις εἰς τοὺς ἐπαίνους ... ἡ μὲν αὔξησις ἐπιτηδειοτάτη τοῖς ἐπιδεικτικοῖς.*

[3]) Otto Kehding: de panegyricis Latinis dissertationis capite altero (p. 16—28) recte Claudiani vestigiis scholasticis demonstratis in quarto capite: ‚quomodo Claudianus panegyricos Graecos imitatus sit' inscripto (p. 44 sqq.) necessitudinem quandam inter Claudianum et Aristidem eruit et cum alia tum permultas Romae encomii (Stilich. III 130 sqq.) sententias poetam ex oratore deprompsisse contendit. At similes urbis laudes in aliorum quoque auctorum

Pergit autem Aristides in hac magnitudinis Romae descriptione: (p. 93, 10): *καλύπτει μὲν ἄκρους πρώονας, καλύπτει δὲ τὴν ἐν μέσῳ γῆν, καταβαίνει δὲ καὶ μέχρι θαλάττης ... ὅπου δέ τις αὐτῆς γίγνοιτο, οὐδέν ἐστι τὸ κωλῦον ὁμοίως εἶναι ἐν μέσῳ*[1]).

Romam in mare ipsum progredi[2]) Sidonius quoque dicit c. 2, 56:

„Porrigis ingentem spatiosis moenibus urbem,
quam tamen angustam populus facit; itur in aequor
molibus et veteres tellus nova contrahit undas;
62. sic te dispositam spectantemque undique portus,
vallatam pelago terrarum commoda cingunt."

Sequentem quoque Aristidis sententiam ad magnitudinem urbis pertinentem (p. 93, 14): *καὶ μὲν δὴ οὐδ' ἐπιπολῆς γε κέχυται, ἀλλ' ἀτεχνῶς πολὺ ὑπὲρ τὸ παράδειγμα ἐπὶ πλεῖστον ἄνω ἥκει τοῦ ἀέρος, ὡς εἶναι μὴ χιόνος καταλήψει τὸ ὕψος προσεικάσαι, ἀλλὰ μᾶλλον αὐτοῖς τοῖς πρώοσι* Claudianus tangit, cum dicit (Stil. III 135): „quae septem scopulis zonas imitatur Olympi", cui addimus Cassiodorum var. III 30, 2, ubi idem laudationis locus paulo aliter tractatur: „hinc, Roma, singularis quanta in te sit potest colligi magnitudo. quae enim urbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua possunt similitudinem reperire?"

Aristides hanc Romae laudem his denique verbis finit

---

scriptis non deesse qui invenerit, Claudianum non Aristidis ipsius imitatorem esse, sed utrumque ex communi fonte rhetorico hausisse verisimilius esse sibi persuadebit.

1) cf. Dionys. Hal. amplitudinis Romae descriptionem (ant. IV 13, 4): „*καὶ εἰ μὲν εἰς ταῦτά τις ὁρῶν τὸ μέγεθος ἐξετάζειν βουλήσεται τῆς Ῥώμης, πλανᾶσθαί τ' ἀναγκασθήσεται καὶ οὐχ ἕξει βέβαιον σημεῖον οὐδέν, ᾧ διαγνώσεται, μέχρι ποῦ προβαίνουσα ἔτι πόλις ἐστὶ καὶ πόθεν ἄρχεται μηκέτ' εἶναι πόλις.*

2) Qui laudationis locus urbium encomiis aptus videtur fuisse; laudat enim similiter Himerius Constantinopolis amplitudinem (or. VII 7): *κενὸν δὲ ἀφῆκε πόλεως οὐδ' ὅσον εἰς λαγόνας καὶ τὴν κύκλῳ περιπτύσσουσαν νῆσον ἅπασαν μερίζεται, ἀλλ' ἐποχηθεῖσα μὲν πᾶσιν αἰγιαλοῖς καὶ πᾶσι πεδίοις, ἠπειρώσασα δὲ καὶ αὐτὴν ἤδη τὴν θάλασσαν καὶ βιασαμένη μερίδα γενέσθαι πόλεως, σαλεύουσαν φύσιν καὶ ἄστατον πεπηγέναι πεποίηκεν.*

(p. 93, 22): *ὥστ' εἴ τις αὐτὴν (Ῥώμην) ἐθελήσειε καθαρῶς ἀναπτύξαι καὶ τὰς νῦν μετεώρους πόλεις ἐπὶ γῆς ἐρείσας θεῖναι ἄλλην παρ' ἄλλην, ὅσον νῦν Ἰταλίας διαλεῖπόν ἐστιν, ἀναπληρωθῆναι τοῦτο πᾶν ἄν μοι δοκεῖ καὶ γενέσθαι πόλις συνεχὴς μία ἐπὶ τὸν Ἰόνιον τείνουσα.* Romam autem tam amplam esse, ut ex compluribus urbibus constare videatur, sententia est quam in urbium encomiis declamatoriis usitatam fuisse apparet ex similibus descriptionibus eiusdem rhetoris, — hic enim in oratione *περὶ ὁμονοίας ταῖς πόλεσιν* inscripta (or. XXIII 13, Keil 1898) magnitudine arcis Pergamenae laudata urbem illam praedicat, quae quasi ex multis aliis urbibus composita sit[1]) — et Ciceronis or. Verr. IV 118, ubi Syracusae laudantur his verbis: „Ea tanta est urbs, ut ex quattuor urbibus maximis constare dicatur." De Romae autem amplitudine idem argumentum legimus apud Athenaeum, qui scriptor urbem celebrat (I 20B): *λέγει δὲ καὶ ὅτι οὐκ ἄν τις σκοποῦ πόρρω τοξεύων λέγοι τὴν Ῥώμην πόλιν ἐπιτομὴν τῆς οἰκουμένης· ἐν ᾗ συνιδεῖν ἔστιν οὕτως πάσας τὰς πόλεις ἱδρυμένας, καὶ κατ' ἰδίαν δὲ τὰς πολλάς, ὡς Ἀλεξανδρέων μὲν τὴν χρυσῆν, Ἀντιοχέων δὲ τὴν καλήν, Νικομηδέων δὲ τὴν περικαλλῆ, προσέτι τε „τὴν λαμπροτάτην πόλεων πασῶν ὁπόσας ὁ Ζεὺς ἀναφαίνει", τὰς Ἀθήνας λέγω. ἐπιλείποι δ' ἄν με οὐχ ἡμέρα μία ἐξαριθμούμενον τὰς ἐν τῇ Ῥωμαίων οὐρανοπόλει ἀριθμουμένας πόλεις . . . καὶ γὰρ ὅλα ἔθνη ἀθρόως αὐτόθι συνῴκισται, ὡς τὸ Καππαδοκῶν καὶ Σκυθῶν καὶ Ποντίων καὶ ἄλλων πλειόνων.*

Quo de „compendio totius mundi"[2]) similiter dicunt

---

[1]) Arist. XXIII 13: *φαίης ἂν ἄστη πολλὰ συνελθόντα εἰς ταὐτὸν οἰκεῖν.*

[2]) Etiam Babylonis magnitudo hac exaggeratione rhetorica laudata est a Philone Byzant. de sept. orb. spectac. 5 (p. 18 Orelli 1816): *ἡ πόλις . . . λέληθεν ἐν αὐτῇ τὴν οἰκουμένην κατακεκλεικυῖα· Τοσαῦται μυριάδες ἀνθρώπων τὸν ὅλον αὐτῆς κύκλον κατοικοῦσιν.* Liceat porro hic afferre dictum Francogalli Montchrétien, Traité d'Economie politique (1615), (quod citat W. Roscher, Syst. d. Volkswirtsch. III² 1881), p. 38, 8: „Paris pas une cité mais une nation; pas une nation mais un monde" et Riehl, Land und Leute⁵, p. 122: „Die modernen Großstädte sind die riesigen Encyklopädien (cf. Athen. l. c. *ἐπιτομήν*) der allgemeinen Civilisation", quibus verbis elucet, quam late tales urbium magnarum laudes pervagatae sint.

Plinius N. H. XXXVI 101: „ad urbis nostrae miracula transire conveniat ... et sic quoque terrarum orbem victum ostendere. ... non alia magnitudo exurget, quam si mundus[1]) alius quidam in uno loco narretur", Flor. frg. p. 183 (Roßbach): „in illo orbis terrarum conciliabulo", Ammian. Marc. XVI 10, 5: „asylum mundi totius", Lucanus, qui poeta[2]) laudationis locum, quem commendat Dionys. Hal. art. rh. III, 3: *ἐχομένη ἡ πόλις μητροπόλεως τῇ τιμῇ, μεγάλη, πολυάνθρωπος*, significans haec verba profert (lib. I 511):

„Urbem populis victisque frequentem
gentibus et generis, coeat si turba, capacem
humani facilem."

Olympiodorus (Phot. biblioth., p. 63 Becker): *πόλις ἄστεα μυρία κεύθει*, qui scriptor hunc laudis *τόπον* ad domos urbis, quas ipsas quoque celebrandas esse rhetores docent (cf. Dion. Chrysost. or. XXXIII 18: *πόλιν δ' ἂν ἐπαινέσαι ποτὲ εἰς ταῦτα ὁρῶντα ... πλῆθος οἰκιῶν καὶ μέγεθος)*, refert, cum dicit: *ὅτι ἕκαστος τῶν μεγάλων οἴκων τῆς Ῥώμης, ὥς φησιν, ἅπαντα εἶχεν ἐν ἑαυτῷ ὁπόσα πόλις σύμμετρος ἠδύνατο ἔχειν, ἱππόδρομον καὶ φόρους καὶ ναοὺς καὶ πηγὰς καὶ λουτρὰ διάφορα. διὸ καὶ ὁ συγγραφεὺς ἀπεφθέγξατο·*

Εἷς δόμος ἄστυ πέλει· πόλις ἄστεα μυρία κεύθει.

De moenibus Permultum ad amplitudinis urbium laudes videntur etiam moenia valuisse; legimus enim apud Menandr. III 417, 20: *λαμπρὰ ... ἡ πόλις ... τείχεσι* et apud auctorem excerpt. rhet. p. 587, 22: „Secundus locus est de specie moenium." Ita Ovidius Romam appellat (ex Pont. II 1, 23):

„quaeque capit vastis immensum moenibus orbem"

et Sidonius Apoll. c. 2, 56:

„ingentem spatiosis moenibus urbem";

similiter Cassiodorus pulchritudinem urbis murorum praedicat

---

[1]) Goethe quoque poeta noster princeps Romam mundum appellat: Römische Eleg. 1: „Eine Welt zwar bist du, o Rom".

[2]) Lucani versus tanto colore rhetorico tincti sunt, ut Quintilianus inst. or. X 1, 90 oratores quam poetas eum imitari maluerit.

var. III 21: „ubi tanta moenium possit respici pulchritudo?" var. III 29, 2: „inter tot decora moenium".

Sed haec leviora. Illa autem gravia et magna, quae de hoc argumento legimus apud Strabonem et Aristidem. Strabo enim haec verba ad muros urbis pertinentia exhibet (V 3, 7, p. 371, 8 K.): *καί μοι δοκοῦσιν οἱ πρῶτοι τὸν αὐτὸν λαβεῖν διαλογισμὸν περί τε σφῶν αὐτῶν καὶ περὶ τῶν ὕστερον, διότι Ῥωμαίοις προσῆκεν οὐκ ἀπὸ τῶν ἐρυμάτων, ἀλλὰ ἀπὸ τῶν ὅπλων καὶ τῆς οἰκείας ἀρετῆς ἔχειν τὴν ἀσφάλειαν καὶ τὴν ἄλλην εὐπορίαν, προβλήματα νομίζοντες οὐ τὰ τείχη τοῖς ἀνδράσιν, ἀλλὰ τοὺς ἄνδρας τοῖς τείχεσιν;* qua in laude Strabonem minus ad illum Alcaei versum (frg. 23 Bergk): *ἄνδρες πόληος πύργος ἀρεύϊοι,* cui poetae hanc sententiam deberi[1]) facile concedo, spectavisse censemus quam ad praecepta rhetorum, qui versu poetae in usum scholae translato haec docent (Menand. III 377, 15): *οὐ δεδοίκαμεν βαρβάρους, οὐ πολεμίους, ὀχυρώτερον τοῖς βασιλέως ὅπλοις τετειχίσμεθα ἢ τοῖς τείχεσιν αἱ πόλεις.*

Etiam Aristides eandem rem nonnullis tangit verbis; cum autem eius aetate Roma ipsa immunita fuerit, pro urbis moenibus laudat munitiones in finibus imperii exstructas, quo in encomio rhetorum morem secutus id quod laudare non potest vituperat; dicit enim (79): *οὔτε κατὰ τὴν Λακεδαιμονίων αὐθάδειαν ἀτείχιστον ἂν προσείποις τήνδε τὴν πόλιν οὔτ' αὖ τειχήρη κατὰ τὴν Βαβυλῶνος λαμπρότητα ... ἀλλὰ καὶ τοῦτον τὸν τειχισμὸν παιδιὰν καὶ γυναικὸς ὡς ἀληθῶς ἔργον ἀπεφήνατε· αὐτῇ μὲν γὰρ τῇ πόλει περιβαλεῖν τὰ τείχη, οἷον ἀποκρύπτοντες αὐτὴν ἢ φεύγοντες τοὺς ὑπηκόους, ἀγεννές τε εἶναι καὶ οὐ πρὸς τῆς ἄλλης διανοίας ἐνομίσατε, οἷον εἴ τις δεσπότης δεικνύοιτο τοὺς ἑαυτοῦ δούλους φοβούμενος. τειχῶν γε μὴν οὐκ ἠμελήσατε, ταῦτα δὲ τῇ ἀρχῇ περιεβάλετε, οὐ τῇ πόλει.*

Exprimitur denique urbis amplitudo uno adiectivo „maxima" a Vergil. Aen. V 600; Propert. IV 1, 1; Martial. VII 96, 2; carm. adv. Marc. III 9, 6 (Migne Patr. II, p. 1077), vel „magna" ab Ovid. **Urbs maxima**

[1]) cf. U. de Wilamowitz: Griech. Lesebuch II 2, p. 154: „Strabo denkt an einen sprichwörtlich gewordenen Vers des Alkaios".

tr. I 1, 59; ex Pont. IV 5, 20; Tibull. I 7, 61; Vergil. Aen. XII 168; Stat. silv. I 1, 65; III 5, 76; V 1, 217[1]); Auson. XVII 1, 7. Et Vergilium sequentes, qui scribit Aen. VII 602:

„nunc maxima rerum
Roma colit“

nonnulli posteriores poetae hanc dictionem eodem, quo Vergilius, versus loco ponunt: Silius Italicus III 584:

„Iamque tibi veniet tempus, quo maxima rerum
nobilior sit Roma malis“,

Manilius IV 694:

„Italia in summa, quam rerum maxima Roma“,

Claudian. Prob. Olybr. cos. 130:

„dic, maxima rerum“,

Coripp. Joh. IV 95:

„non maxima rerum
Roma“.

Scriptores autem hi Romam maximam appellant:

Seneca in Helv. 6, 3: „maxima... urbs“; auct. expos. tot. mund. 55 (p. 120, 5 Riese): „(Roma) ... est ... quam maxima et aedificiis divinis ornata“; Aristid. or. XXVI 3: *πόλις μεγάλη* id. § 9: *πόλις πάντα μεγάλη*, Dio. Chrys. XI 138: *τὴν μεγίστην πασῶν*, Eunapius vit. soph. 14: *τὴν μεγίστην Ῥώμην ἰδεῖν ἐπιθυμήσας*.

De magnitudine aedificiorum

In hac urbe amplissima aedificia quoque et templa summa et quae cum operibus Gigantum comparare liceat, exstare poetae nonnumquam dicunt, ut Ovidius f. V 555:

„digna Giganteis haec sunt delubra tropaeis“,

Claudian. VI Hon. cos. 44:

---

[1]) In his Stati versibus voces „magnae“ et „Romae“ eodem versus loco leguntur:

I 1, 65 ... magnae vincit vaga murmura Romae
III 5, 76 ... magnae tractus imitantia Romae
V I, 217 ... magnae flectuntur lumina Romae.

„Iuvat infra tecta Tonantis
cernere Tarpeia pendentes rupe Gigantas
caelatasque fores“,

Rutilius I 99:

„Hos potius dicas crevisse in sidera montes;
tale giganteum Graecia laudet opus“,

et scripsit Ammianus Marcell. XVI 10, 15: „haerebat adtonitus per giganteos contextus“.

Altitudinem templorum et aedificiorum Romae tantam esse, ut fere caelum vel sidera tangant, a poetis tam crebro praedicatum est, ut hanc sententiam loci communis vim habuisse putemus, praesertim cum similia praecepta exstent apud Menandrum III 445, 1: *ἐκφράσεις τὸν νεών· εἰ μὲν ὑψηλὸς εἴη τὸ ὕψος, οἷον ἀκροπόλει ἐξεικαστέον, ὡς μεγέθει μὲν τοὺς τοιούτους καὶ ὑπερμεγέθεις ὑπερφέρων, ὕψει δὲ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρῶν* [1]).

Invenimus autem hanc exaggerationem rhetoricam his, quibus de magnitudine urbis agitur, locis:

Martial. X 51, 12:

„Nec Capitolini summum penetrale Tonantis,
quaeque nitent caelo proxima templa suo“[2]),

Sili Ital. III 623:

„Aurea Tarpeia ponet Capitolia rupe
et iunget nostro templorum culmina caelo“,

Petron. sat. 120, 87:

„aedificant auro sedesque ad sidera mittunt“,

---

[1]) Philonis Byz. descriptionem pyramidum qui legerit, optime hanc laudationem rhetoricam agnoscet (p. 10 Orelli): *Καυχάσθω τύχη ... ταῖς ἐξυπηρετουμέναις δαπάναις καὶ τῶν ἄστρων ἐφάψασθαι. Ἦ γὰρ ἄνθρωποι διὰ τῶν τοιούτων ἔργων ἀναβαίνουσι πρὸς θεούς, ἢ θεοὶ καταβαίνουσι πρὸς ἀνθρώπους.*

[2]) cf. Senec. epigr. 27:

„Haec urbem circa stulti monumenta laboris
quasque vides moles, Appia, marmoreas,
Pyramidasque ausas vicinum attingere caelum,
Pyramidas, medio quas fugit umbra die.“

Calpurn. ecl. 7, 23 (de ludis quidem et arena Neronis):
„Vidimus in caelum trabibus spectacula textis
surgere, Tarpeium prope despectantia culmen“,

Panegyr. Lat. VI (VII) 22, 5: „Video circum maximum... basilicas et forum... sedemque iustitiae in tantam altitudinem suscitari ut se sideribus et caelo digna et vicina promittant“,

Claudian. Stilich. III 68:
„(Circumspice)... aequataque templa nubibus“,

ib. VI. Hon. cos. 46:
„mediisque volantia signa
nubibus et densum stipantibus aethera templis“,

Rutilius I 50:
„Non procul a caelo per tua templa sumus“,

ib. I 99 (aquaeductus laudantur):
„Hos potius dicas crevisse in sidera montes“,

Cassiodor. var. III 51, 8: „obeliscorum quoque prolixitates ad caeli altitudinem sublevantur.“

Similiter porro: Ovidius f. I 209:
„at postquam Fortuna loci caput extulit huius
et tetigit summo vertice Roma deos...“

et Manilius IV 694:
„Italia in summa, quam rerum maxima Roma
imposuit terris caeloque adiungitur ipsa“[1]).

---

[1]) Eandem laudandi formulam rhetoricam in iis quoque versibus legimus, quibus Romanos virtute vel gloria sua caelum tangere exprimitur; scripserunt enim Vergilius Aen. VI 782:

„Imperium terris, animos aequabit Olympo“,

Melinno (Stob. flor. III 7, 12) 1:

Χαῖρέ μοι, Ῥώμα, θυγάτηρ Ἄρηος,
χρυσεομίτρα, δαΐφρων ἄνασσα,
σεμνὸν ἃ ναίεις ἐπὶ γᾶς Ὄλυμπον
αἰὲν ἄθραυστον.

(conferas quoque Claudian. Stil. III 135:
„Quae septem scopulis zonas imitatur Olympi“)

Quacum sententia aliam coniungimus, quae saepe inventa inter locos rhetoricos ad laudem Romae pertinentes numeranda videtur esse. Dicunt enim nonnumquam poetae et scriptores nihil in orbe terrarum comparari posse cum magnitudine et pulchritudine urbis, ut Plinius n. h. III 65:

„Roma ipsa, cuius nomen alterum dicere nisi arcanis caerimoniarum nefas habetur ... (67) quod si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto aestimationem concipiat fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari", Paneg. Lat. XII (IX) 25, 3: „quid habeo quod comparem ... Romae?"

vel nihil maius, dulcius, melius esse Roma. Haec enim scripta invenimus a Plin. n. h. XXXVI 123: „si quis diligentius aestimaverit abundantiam aquarum, exstructos arcus ... fatebitur nil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum", Martial. XII 8, 1:

„Terrarum dea gentiumque Roma,
cui par est nihil et nihil secundum[1])",

Manilius I 803:

„illa deum sedes, haec illis proxima, divum
qui virtute sua similes vestigia tangunt",

Grattius 324:

„Imposuere orbi Romam caput, actaque ab illis
ad caelum virtus summosque tetendit honores",

Silius Ital. VII 94:

... „summumque decus, quo tollis ad astra
Imperii, Romane, caput, parere docebat",

Rutilius I 48:

„Inter sidereos Roma recepta polos",

Symmachus ep. X 9, 2:

„urbem caelo et sideribus acceptam".

Quae dicendi ratio in hominum quoque laudibus vulgaris videtur fuisse; dicunt enim de Caesare Vergilius Aen. I 287:

„Imperium Oceano, famam qui terminet astris",

de Menandro poeta auctor carminis, quod exstat Anth. Pal. IX 187:

τὸ δὲ κλέος ἐστὶν Ἀθήναις
ἐκ σέθεν οὐρανίων ἁπτόμενον νεφέων.

[1]) Ex his duobus versibus ea sumpta sunt, quibus interpolatum est initium cap. 88 Frontini de aquis: „regina et domina orbis, quae terrarum dea consistit, cui par nihil et nihil secundum." (cf. Hauptium, Opusc. III 501.)

Cassiodor. var. X 18, 1: „Romam defendere, quam constat in mundo simile nihil habere",

Ovid. met. XV 444:

„Urbem etiam cerno Phrygios debere nepotes,
Quanta nec est nec erit nec visa prioribus annis",

(Claudian. Stil. III 130:

„tantae qui prospicis urbi,
qua nihil in terris complectitur altius aether"),

Procop. b. Goth. III 22, 9: *Ῥώμη μέντοι πόλεων ἁπασῶν, ὅσαι ὑφ' ἡλίῳ*[1] *τυγχάνουσιν οὖσαι, μεγίστη τε καὶ ἀξιολογωτάτη ὡμολόγηται εἶναι.*

similem praeconii locum proferunt: Horat. c. saec. 11:

„(Alme Sol) possis nihil urbe Roma
visere maius"[2])

et Aristides § 105: *ὅ γε μὴν πάντ' ἐφορῶν Ἥλιος... ἥδιστα φορᾷ τὴν ὑμετέραν ἀρχήν*[3]).

Eodem comparationis modo usi sunt ad efferendam pulchritudinem Romae hi auctores:

Calpurnius ecl. 7, 16 (quamquam de ludis dicit):

---

1) Hanc sententiam ex rhetorum declamationibus originem trahere demonstratur his verbis Menandri III 358, 24: *ὁ Ἀλέξανδρος μεγίστην τῶν ὑφ' ἡλίῳ πόλεων ἠβουλήθη κατοικίσαι.*

2) Similem gloriae amplificationem iam in Herodoti verbis reperimus, qui Xerxem dicentem facit (VII 8 γ): *οὐ γὰρ δὴ χώρην γε οὐδεμίαν κατόψεται ἥλιος ὁμουρέουσαν τῇ ἡμετέρῃ.*

3) Imperium Romanum ab eodem loco rhetorico laudat Rutilius I 81:

„Omnia perpetuos quae servant sidera motus,
nullum viderunt pulchrius imperium",

(similiter Florus IV 1, 5: „pulcherrimo imperio") quocum versu consentit haec dictio Menandri: III 383, 3... *καὶ πόλεως, ἣν μόνην καλλίστην πόλεων ὁ ἥλιος ἐφορᾷ.*

Ab eodem comparationis loco imperium Romanum laudatur a Livio praef. 11: „nulla umquam res publica nec maior nec sanctior", et ab Eutropio I 1: „Romanum imperium, quo neque... toto orbe amplius humana potest memoria recordari..."

„nec mihi, si quis
omnia Lucanae donet pecuaria silvae,
grata magis fuerint, quam quae spectavimus urbe",

Ovidius ex Pont. I 3, 37:

„Quid melius Roma?"

Sidonius Apoll. c. 7, 503:

„nil te mundus habet melius, nil ipsa senatu".

De pulchritudine urbis

Ac praeter magnitudinem maxime pulchritudo urbis eiusque templorum et aedificiorum in encomiis Romae celebratur, quae laudationes ipsae quoque ad rhetorum praecepta spectant; docet enim Menander III 429, 15: *εἶτα τὸ κάλλος τῆς πόλεως (ἐρεῖς)· ὡραΐζεται μὲν γὰρ ἡ πόλις κάλλεσιν ἱερῶν καὶ στοῶν καὶ λουτρῶν μεγέθεσιν*, idem III 417, 20: *ἐρεῖς τι καὶ περὶ αὐτῆς ὧδέ πως, ὅτι λαμπρὰ μὲν ἡ πόλις ἡμῖν ... οἰκοδομημάτων κάλλεσι* (similiter quoque III 431, 3).

Quare Roma saepe appellatur urbs pulcherrima[1]); ut apud: Ciceron. nat. deor. III 9, 21; Verr. V 127; Cat. II 13, 29; III 1, 1; IV 1, 2; Vergil. Georg. II 534; Ovid. ex Pont. I 2, 83; Propert. III 22, 39; Senec. in Helv. 6, 3; Tacitum H. I 84; Pan. Lat. IX (IV) 9, 4; Carm. c. pagan. 32 (P. L. M. III p. 288); Rutil. I, 47.

Huc pertinet haec quoque declamatio Themistii or. XIII 177 d: *Τί ὑμῖν δοκεῖ πρὸς φιλίου; τυχὸν γὰρ καὶ οἱ ὑμέτεροι ὀφθαλμοὶ οὕτως ὁρῶσιν, ἡ κλεινὴ καὶ ἀοίδιμος*[2]) *Ῥώμη πέλαγος εἶναι*

[1]) Plane ex usu declamatorio est talia urbium epitheta ornantia in gradu superlativo proferre: cf. Menand. III 350, 15: *εἰ ἔνδοξοι εἶεν αἱ πόλεις καὶ ἐπιφανεῖς, (ἐρεῖς) ὅτι ἐνδόξων ἐνδοξοτέρα ἐστὶ καὶ ἐπιφανῶν ἐπιφανεστέρα.* Itaque Cicero iure rhetorico Syracusas eodem modo laudat (Verr. IV 117): „Urbem Syracusas . . . pulcherrimam omnium saepe audistis."

[2]) Eodem Romae apposito, quod est *ἀοίδιμος*, Themistius utitur bis (or. XXXIV 42; 72), non immemor ut censemus illius poetarum Romae epitheti ornantis, quod est „inclita." Hoc autem Romae epitheton primus adhibuit Ennius A 502 „postquam inclita condita Roma est", quem secuti sunt hi poetae: Verg. A. VI 781; Silius I 598; Ausonius XI 164 (20); Prudent. in Sym. I 554; Alcuin. c. 25, 1 (p. 245, Duemmler: P. L. m. a.); Tit. saec. VIII carm. 9, 14 (p. 113 Duemmler); carm. Lat. epigr. (Buechler) I 728, 1; Hieronym. ep. 128, c. 4 (ad Gaudent.), similiter etiam Menand. III 379, 9: *ἐκ ποίας δὲ χώρας ἢ πόλεως περιωνύμου, οἷον τῆς Ῥώμης.*

κάλλους ἄφραστον καὶ ἀνεξήγητον. (cf. Aphthon, II 49, 9: *τὸ μὲν δὴ κάλλος κρεῖττον ἢ λέγειν*)[1].

Roma aurea

Saepe autem pulchritudo singulorum urbis aedificiorum celebratur, quibus in laudibus plurimum occurrit praedicatio auri fulgoris, quam Aphthonius rhetor in *ἐκφράσει τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἀκροπόλεως* commendat his verbis (II 48, 21): *ὀροφὴ δὲ στοαῖς, ἣν χρυσὸς κατεσκεύασε, καὶ κορυφαὶ ... χρυσῷ συγκρυπτόμεναι.*

Atque de templis Romae auro fulgentibus[2]) verba faciunt: Ovid. f. I 77; 224; am. III 9, 43; Propert. IV 1, 5; Martial. VIII 65; Claudian. VI Hon. cos. 51; 73 sq.; Prudent. in Sym. I 417 sq.; Ausonius XVI 42. de Capitolio aureo: Vergil. A. VIII 348; Horat. c. III 3, 43; Ovid. f. VI 73; Silius III 623; Auson. XI 123 (19, 17[3]); Sid. Apoll. c. 5, 589; (Mirabilia Romae 23). de Palatino aureo: Ovid. art. III 119; Auson. II 8, 19.

Propter hunc auri fulgorem urbs ipsa quoque nonnumquam „Roma aurea" appellata est. Invenimus autem hanc laudationem

---

[1]) Quibus pulchritudinis urbis laudibus annectimus carmen incerti poetae decimi vel undecimi saeculi, qui in meritis sanctorum pulchritudinem Romae consistere contendit:

Paulin. Aquil. carm. dub. 5, 7 (p. 137, 1 Duemmler: Poet. lat. med. aev.)

„O Roma felix, quae tantorum principum
Es purpurata precioso sanguine,
Excellis omnem mundi pulchritudinem,
Non laude tua, sed sanctorum meritis,
Quos cruentatis iugulasti gladiis."

[2]) Templa Capitolii auro tecta fuisse tradit Seneca contr. I 6, 4: „fastigatis supra tectis auro puro fulgens praelucet Capitolium."

[3]) cf. Iordan: Topographie I 2, p. 6: „Noch zur Zeit des Verfalls des alten Staates und der alten Religion leuchtete weithin das „goldne Capitolium" als ein Wahrzeichen der Weltherrschaft." Capitolium aliis quoque adiectivis ad magnitudinem pertinentibus ornatum est, legimus enim „Capitolium altum" apud: Verg. A. VI 836; Lucan. IX 79; Silium V 654; XII 640; Claudian. IV Hon. cos. 318; Coripp. Iust. III 125; „Capitolium celsum" apud: Verg. A. VIII 653; Prudent. in Symm. I 216; 535, Albinum (Frg. P. R. p. 406) 1, 1; Cassiodor. var. VII 6, 1: „Capitolia celsa conscendere hoc est humana ingenia superata vidisse." Eadem Capitolii admiratio ex medii ipsius aevi scriptis elucet, quibus Capitolium in numero septem mundi miraculorum habetur, cf. Bedae et Nicetae *(τὰ ἑπτὰ πάλαι τοῦ κόσμου θαύματα)* locos in appendice ad Philonis Byz. libellum ab Orellio p. 144/7 collectos.

praeter locos a Friedlaendero (l. c. I[8] (1910) p. 75) allatos (Ovid art. III 113; Martial. IX 59, 2; Ausonium XI 1; Iuvencum libr. evang. IV, praef. II 2; Vit. Pescenn. Nigr. c. 12, 6) apud hos quoque poetas: Claudian. Fesc. II 19:

„Aurea septemgeminas
Roma coronet arces",

auctor. carm. de viris illustr. (P. L. M. V 396) 1, 3:

„quos aurea quondam Roma tulit";

Alcuin. c. 9, 37 (p. 230, 1. Duemmler):

„Roma, caput mundi, mundi decus, aurea Roma,
nunc remanet tantum saeva ruina tibi",

Nasonem ecl. 1, 27 (p. 385 Duemmler):

„Aurea Roma iterum renovata renascitur orbi."

Eodem spectant hi versus, quibus Roma humana specie induitur:

Melinno (Stob. flor. III 7, 12) 1:

χαῖρέ μοι, Ῥώμα, θυγάτηρ Ἄρηος,
χρυσεομίτρα, δαΐφρων ἄνασσα,

Anth. Pal. IX 697, 3:

χρυσάσπιδι Ῥώμῃ.

conferas quoque Mariani lup. (Frg. P. Rom. p. 384):

„sed diva flava et candida
Roma, Aesculapi filia."

Sed praeter has breviores pulchritudinis Romae laudationes poetae et scriptores saepe etiam amplissimis verbis auri fulgorem tollunt, ut Paneg. Lat. IV (X) 35, 4, ubi parsimoniae maiorum opponuntur aedificia magnificentissima scriptoris temporum his verbis: „sed illa ipsa quae antehac magnificentissima putabantur nunc auri luce fulgentia indecoram maiorum parsimoniam prodiderunt. Circo ipsi maximo sublimes porticus et rutilantes auro columnae tantum inusitati ornatus dederunt ut illo non minus cupide conveniatur loci gratia quam spectaculi voluptate",

Rutilius I 117:

„Aurea turrigero radient diademata cono,
perpetuosque ignes aureus umbo vomat.“

idem 197 sq.

„Sed caeli plaga candidior tractusque serenus
signat septenis culmina clara iugis.
Illic perpetui soles, atque ipse videtur
(200) quem sibi Roma facit purior esse dies.“

Qui poeta in versibus 199/200 profert auri fulgoris eam praedicationem, quam, quod ab aliis quoque poetis similibus verbis expressa est, ex schola declamatoria originem trahere suspicamur. Poetis enim Romam laudantibus in deliciis est templorum fulgorem cum solis nitore comparare; ita Manilius V 510:

„Hinc augusta nitent sacratis munera templis,
aurea Phoebeis certantia lumina flammis,
gemmarumque iubar, radiantes lucibus ignes.“

Claudianus Stilich. III 133:

(Roma) „quae luce metalli
aemula vicinis fastigia conserit astris.“

idem Stilich. III 65:

„Septem circumspice montes,
qui solis radios auri fulgore lacessunt,
indutosque arcus spoliis.“

similiter quoque Ovidius ex Pont. II 1, 41:

„Deque tropaeorum, quod sol incenderit, auro
aurea Romani tecta fuisse fori“[1]).

---

[1]) Eandem exaggerationem rhetoricam invenimus in his Corippi versibus Iust. (IV 115 sqq.):

„extabat sedes, auro gemmisque superba,
lumen habens sine sole suum; inlustratque propinquos
gemmarum natura locos, rerumque colores
mutans et Phoebi radios fulgentis obumbrans“

et apud Apuleium met. V 1: „totique parietes solidati massis aureis splendore proprio coruscant, ut diem suum sibi domus faciat licet sole nolente: sic cubicula, sic porticus, sic ipsae valvae fulgurant“, in Philon. Byz. sept.

Neque solum templorum fulgor a claritate solis vel diei, quacum certet, laudatus est, sed etiam lumina noctis ab eodem loco rhetorico semel praedicata sunt; scripsit enim Ammianus Marcell. XIV 1, 9: „et haec confidenter agebat in urbe, ubi pernoctantium luminum claritudo dierum solet imitari fulgorem."

Conspectu urbis tam pulchrae et splendidae Fulgentius, cum ex Africa inculta primum Romam venisset, vehementer commotus haec verba exclamavit[1]): „Quam speciosa potest esse Hierusalem coelestis, si sic fulget Roma terrestris!" Qua de laudatione simplici aliter iudicandum est quam de eis admirationis locutionibus, quibus adspectu tam pulchrorum vel magnorum operum animum attonari vel oculos praestringi exprimitur. Cum enim huius verba veram animi affectionem videantur sapere, illae perturbationes animi plerumque simulatae sunt et solum scholae declamatoriae debentur. Describit enim Menander Apollinis templum his verbis III 445, 6: *ἔτι τοίνυν τὴν τοῦ νεὼ στιλπνότητα καὶ τὴν αὐγὴν τίς οὐκ ἂν ἐκπλαγείη;* Quod rhetorum exemplum opera maxima pulcherrimaque celebrandi sequuntur Plutarchus, qui scriptor eadem fere admirationis verba profert (de fort. Rom. 325 E): *τίς γὰρ οὐκ ἂν ὡς ἀληθῶς ἐκπλαγείη... ἀποβλέψας ἄνω λαμπρότητα καὶ πλοῦτον ἀναθημάτων καὶ τεχνῶν ἁμίλλας ...,..*", Rutilius I 95:

„Confunduntque vagos delubra micantia visus,"

Claudian. VI Hon. cos. 51:

„Acies stupet igne metalli
et circumfuso trepidans obtunditur auro".

Neque hanc formulam rhetoricam neglegunt: Ammianus Marcell. XVI 10, 13 „... cum venisset ad rostra, perspectissimum priscae potentiae forum, obstupuit perque omne latus quo se oculi contulissent, miraculorum densitate praestrictus" et Cassio-

---

orb. spect. prooem. (p. 4 Orelli): *Τὸ γὰρ καλὸν ἡλίῳ παραπλησίως οὐκ ἐᾷ τὰ λοιπὰ θεωρεῖν, ὅταν αὐτὸς διαλάμψῃ.*

[1]) S. Fulgentii episcopi vita cap. XIII. Patrologia Lat. ed. Migne 65 (1861), p. 131 A.

dorus in laude amplitudinis cloacarum var. III 30, 1: „splendidas Romanae cloacas civitatis, quae tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum civitatum possint miracula superare.“

Nec dissimili arte utitur Calpurnius ecl. 7, 36 sq., ubi amphitheatrum describit his verbis:

„sic undique fulgor
percussit. stabam defixus et ore patenti
cunctaque mirabar.“

Conferre denique licet Ammiani Marcell. admirationem fori Traiani, lib. XVI 10, 15: „verum cum ad Traiani forum venisset, singularem sub omni caelo structuram, ut opinamur, etiam numinum adsensione mirabilem, haerebat adtonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus adpetendos, et hunc versum Claudiani Stilich. III 69:

„Quantum profueris, quantam servaveris urbem,
attonitis metire oculis.“

De laude singulorum urbis aedificiorum

Celeberrima opera enumerantur

Neque vero hoc tantum modo auctores Romam eiusque aedificia exornaverunt, verum etiam saepe laudes fororum, aedificiorum publicorum, theatrorum, templorum constant ex enumerationibus vel simplici forma figurae rhetoricae, quae est ἀπαρίθμησις, expressis vel nonnullis admirationis verbis, quibus amplitudo et species operis generatim atque universe laudantur, ornatis atque amplificatis[1]); raro autem et apud scriptores posteriores accuratas aedificiorum urbis descriptiones invenimus. Atque tales Romae aedificiorum laudationes exhibuerunt hi auctores:

Ovidius, qui poeta in inculto Ponto desiderio patriae affectus celeberrima urbis opera quasi praesentia vidit (ex Pont. I 8, 33 sq.):

„Aque domo rursus pulchrae loca vertor ad Urbis,

---

[1]) Ipse Statius, quamquam in carminibus suis, quibus primus poetarum Romanorum descriptionem accuratam rei alicuius profert (cf. Fr. Leo: De Stati silvis, ind. lect. Gott. sem. hib. 1892/93, p. 6), omnia quam dilucidissime describere studet, hanc rationem enumerandi saepe vitare non potest, cf. Vollmerum ad silv. I 3 (p. 263): „Über das rhetorische Aufzählungsschema mit seinen schwerfälligen Verbindungen kommt er nicht hinaus.“

cunctaque mens oculis pervidet usa suis:
nunc fora, nunc aedes, nunc marmore tecta theatra,
nunc subit aequata porticus omnis humo,
gramina nunc Campi pulchros spectantis in hortos,
stagnaque et euripi, Virgineusque liquor."[1])

Similiter idem in laude fororum magnifica opera tantum enumerat: trist. III 1, 27:

„Haec sunt fora Caesaris", inquit,
„haec est a sacris quae via nomen habet,
hic locus est Vestae, qui Pallada servat et ignem,
hic fuit antiqui regia parva Numae."
inde petens dextram: „Porta est, ait, ista Palati,
hic Stator, hoc primum condita Roma loco est."
Singula dum miror, video fulgentibus armis
conspicuos postes tectaque digna deo."

Item in libris Strabonis, qui Amasia Pontica Romam venit, admirationis plenam descriptionem omnium urbis aedificiorum magnificorum invenimus, quorum plurima[2]) ipse quoque tantummodo enumerat; dicit enim lib. V 3, 8 (Kramer vol. I p. 373, 10): *πλησίον δ' ἐστὶ τοῦ πεδίου τούτου καὶ ἄλλο πεδίον καὶ στοαὶ κύκλῳ παμπληθεῖς καὶ ἄλση καὶ θέατρα τρία καὶ ἀμφιθέατρον καὶ ναοὶ πολυτελεῖς καὶ συνεχεῖς ἀλλήλοις*... (24) *πάλιν δ' εἴ τις εἰς τὴν*

---

[1]) Similiter in Livii quoque oratione V 54, 3 Camillus ex urbe expulsum se desiderio patriae captum saepe pulchritudinis et amoenitatis Romae meminisse dicit: „cum abessem, quotienscumque patria in mentem veniret, haec omnia occurrebant, colles campique et Tiberis et adsueta oculis regio et hoc caelum, sub quo natus educatusque essem; quae vos, Quirites, nunc moveant potius caritate sua, ut maneatis in sede vestra, quam postea, cum reliqueritis eam, macerent desiderio."

Quod urbis encomium a desiderio patriae sumptum rhetores quoque commendant; dicit enim Menander III 382, 12: *καὶ ἀπὸ τῆς ὄψεως τῆς φανερᾶς τῆς πόλεως λήψεται τὴν χορηγίαν... οἷον ἐπόθουν μὲν πάλαι καὶ γυμνάσια καὶ θέατρα ταῦτα καὶ ἱερῶν κάλλη καὶ λιμένων τῆςδε τῆς πόλεως*, idem 394, 8: *τίς δ' ἂν ἀνέχοιτο ἀκροπόλεως τοιαύτης κάλλος καταλιπεῖν, ἱερὰ... καὶ ὅλως ἐφαρμόσομεν τὰ τῆς πόλεως ἐξαίρετα, τὰ κάλλη τῶν οἰκοδομημάτων*...

[2]) Campum Martium autem et mausoleum Augusti uberius depingit.

ἀγορὰν παρελθὼν τὴν ἀρχαίαν ἄλλην ἐξ ἄλλης ἴδοι παραβεβλημένην ταύτῃ καὶ βασιλικὰς στοὰς καὶ ναούς, ἴδοι δὲ καὶ τὸ Καπιτώλιον καὶ τὰ ἐνταῦθα ἔργα καὶ τὰ ἐν τῷ Παλατίῳ καὶ τῷ τῆς Λιβίας περιπάτῳ, ῥᾳδίως ἐκλάθοιτ' ἂν τῶν ἔξωθεν. τοιαύτη μὲν ἡ Ῥώμη.

Ammianus vero Marcellinus[1]) Antiochiae natus historiarum libris, cum Constantii imperatoris in urbem introitum describit, laudem inserit operum Romae celeberrimorum, quae paucis admirationis verbis tollens enumerat (XVI 10, 14): „deinde intra septem montium culmina, per adclivitates planitiemque posita urbis membra conlustrans et suburbana, quidquid viderat primum, id eminére inter alia cuncta sperabat: Iovis Tarpei delubra, quantum terrenis divina praecellunt: lavacra in modum provinciarum extructa: amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cuius summitatem aegre visio humana conscendit: Pantheum velut regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam: elatosque vertices scansili suggestu concharum, priorum principum imitamenta portantes, et Urbis templum forumque Pacis, et Pompei theatrum et Odeum et Stadium, aliaque inter haec decora urbis aeternae."

Nec minus Claudianus, qui poeta Alexandriae natus erat, compluribus carminum locis Romam miratus est. Enumerationem autem urbis operum invenimus in his versibus (VI cons. Hon. 39):

„Non alium certe decuit[2]) rectoribus orbis
esse larem, nulloque magis se colle potestas

---

[1]) Qui rerum scriptor arti rhetoricae aptissimus fuit et saepe ex ipsis fontibus panegyricis hausit (cf. lib. XVI 1, 3: „ad laudativam paene materiam pertinebit"), id quod ostendit Eduardus Norden: Kunstprosa, p. 647.

[2]) Aliis quoque nonnullis Romae laudum locis similiter exprimitur tantam urbem imperio dignam esse vel orbem terrarum dignius caput habere non posse vel similia: scripserunt enim Aristid. XXVI 9: *εἰς δ' αὐτὴν τὴν πόλιν καὶ τοὺς τῆς πόλεως ὅρους ἰδόντα μηκέτι θαυμάζειν, εἰ ὑπὸ τοσαύτης ἄρχεται πᾶσα ἡ οἰκουμένη*, Cassiodor. var. VII 5, 1: „(Palatium, aula)... haec nostrae sunt oblectamenta potentiae, imperii decora facies, testimonium praeconiale regnorum... talis dominus esse creditur, quale eius habitaculum comprobatur."

Propter virtutes Romam imperio dignam esse his invenimus praedicatum

aestimat et summi sentit fastigia iuris.
Attollens apicem subiectis regia rostris
tot circum delubra videt tantisque deorum
cingitur excubiis! Iuvat infra tecta Tonantis
cernere Tarpeia pendentes rupe Gigantas
caelatasque fores mediisque volantia signa
nubibus et densum stipantibus aethera templis
aeraque vestitis numerosa puppe columnis
consita subnixasque iugis immanibus aedes,
naturam cumulante manu, spoliisque micantes
innumeros[1]) arcus."

ibidem Stilich. III 65:

„Septem circumspice montes,
67. indutosque arcus spoliis aequataque templa
nubibus et quidquid tanti struxere triumphi."

Denique hic affere liceat enumerationes Romae aedificiorum quas scripserunt: Plutarch. de fort. Rom. 321 A: ... *οὐκ ἂν ἔτι νῦν τὰ καλὰ ταῦτα βασίλεια καὶ ναοὶ καὶ θέατρα καὶ περίπατοι καὶ ἀγορὰ καὶ ἀρχεῖα βοτηρικαὶ καλύβαι καὶ σταθμοὶ νομέων*

---

locis: Flor. I 22, 43 (et Iordanis Rom. 201): „o populum dignum orbis imperio, dignum omnium favore et admiratione hominum ac deorum!"
Rutil. I 9:

„Semina virtutum demissa et tradita caelo
non potuere aliis dignius esse locis."

ibidem I 91:

„Quod regnas, minus est quam quod regnare mereris:
excedis factis grandia fata tuis"

(= Men. 378, 15: *ὑπερβάλλεις τὴν φήμην*). Neque longe differt Callinicus Petracus (Frg. H. G. ed. Mueller. III 663): *Οὔτε ἡ καθ' ἡμᾶς γῆ πρὸς ἕτερον οὐδὲν εὐαρμόστως εἶχεν πλὴν βασιλείας, οὔτε ἡ βασιλεία πρὸς ἄλλο χωρίον οὐδὲν πλὴν ταύτης ἐχώρησεν.*

[1]) Similem laudem exhibent Rutilius I 93:

„Percensere labor densis decora alta tropaeis,
ut si quis stellas pernumerare velit",

et auct. tot. orb. descript. A 55 (Geogr. graec. min. II p. 525, ed. Mueller.): „Roma, splendoribus divinorum aedi ficiorum ornatam. Omnes enim imperatores ob gloriam suae virtutis unusquisque eorum proprium opus suo nomine dedicaverunt. Quis enim Antonini dinumeret opera? Quis Traiani vel ceterorum explicet in operibus publicis ornamenta?" B. 55: „opera invenies innumerata."

ἦσαν, Martialis, qui villam Frontini opponit his Romae operibus (X 51, 11):

„Sed nec Marcelli Pompeianumque, nec illic
sunt triplices thermae, nec fora iuncta quater,
nec Capitolini summum penetrale Tonantis,
quaeque nitent caelo proxima templa suo“,

De urbis miraculis

Plinius, qui scriptor septem orbis terrarum miraculis tractatis etiam Romae aedificia celeberrima tangit[1]) (lib. XXXVI 101 sq.) et haec enumerat: „Verum et ad urbis nostrae miracula transire conveniat... miracula... universitate vero acervata et in quendam unum cumulum coiecta... nec ut circum maximum... inter magna opera dicamus: non inter magnifica basilicam Pauli columnis e Phrygibus mirabilem forumque divi Augusti et templum Pacis Vespasiani Imp. Aug., pulcherrima operum, quae umquam vidit orbis? non et tectum diribitori ab Agrippa facti, cum theatrum ante texerit Romae Valerius Ostiensis architectus ludis Libonis? pyramidas regum miramur, cum solum tantum foro exstruendo HS|M| Caesar dictator emerit.“ Hunc numerum septem urbis operum non fortuito ortum sed ab illis terrarum septem miraculis a Plinio hoc loco translatum esse verisimile est[2]). Nam etiam Polemius Silvius[3]) illis terrarum septem miraculis totidem urbis miracula opponit, quae enumerat: „Inter quae omnia VII sunt mira praecipua: id est Ianiculum, cloacae, aquaeducti, forum Traiani, amphitheatrum, odeum et thermae Antonianae“, et nescio an illa septem urbis miracula significaverit peregrinus quidam, cum exclamaret[4]): ἐν τῇ βασιλευούσῃ Ῥώμῃ χρόνῳ πολλῷ διατρίψας καὶ

[1]) Idem in fine huius Romae descriptionis omnia urbis opera laude dignissima complectitur hac enumeratione (XXXVI 123): „Quod si quis diligentius aestumaverit abundantiam aquarum in publico, balineis, piscinis, euripis, domibus, hortis, sub urbanis villis, spatia aquae venientis, exstructos arcus, montes perfossos, convalles aequatas, fatebitur nil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.“

[2]) Iordan.: Topographie der Stadt Rom im Altertum, vol. II, p. 143 sq.

[3]) ed. Th. Mommsen: Abh. d. sächs. G. d. W., vol. III, 1857 p. 270.

[4]) de Rossi: Bull. di arch. crist. 1867, 1.

τὰ ἐκεῖ θαύματα εἶδον καὶ τὰ ἐνταῦθα! quibus verbis addere decet simile Pacati Panegyrici enuntiatum (Pan. Lat. II 47, 5): „O mea felix peregrinatio! o bene suscepti et exhausti labores! quibus ego intersum bonis!... quae reversus urbibus Galliarum dispensabo miracula! quantis stupentium populis, quam multo circumdabor auditore, cum dixero: Romam vidi..."

Cassiodorus autem amplissimis verbis septem terrarum miraculis Romam opponit[1], quam urbem universam miraculum esse contendit (var. VII 15, 4): „Ferunt prisci saeculi narratores fabricarum septem tantum terris adtributa miracula (sequitur eorum enumeratio) 5. Sed quis illa ulterius praecipua putabit, cum in una urbe tot stupenda conspexerit? habuerunt honorem, quia praecesserunt tempore et in rudi saeculo quicquid emersisset novum, per ora hominum iure ferebatur eximium. nunc autem potest esse veridicum, si universa Roma dicatur esse miraculum."

Qui scriptor urbis operum magnificorum simplici enumeratione iam non contentus accuratam singulorum aedificiorum vel statuarum descriptionem profert. Tales autem descriptiones, cum in priorum poetarum scriptorumque libris raro inveniantur, ab secundo circiter p. Chr. n. saeculo saepius occurrunt et in praeexercitamentis artis rhetoricae proprium locum accipiunt (conferas praecepta *περὶ ἐκφράσεως*, quae legimus apud Hermogenem p. 22, Aphthonium p. 67 sq., Theonem II 118 sq., Nicolaum Sophist. p. 67 sq.) excultae autem sunt ab auctoribus quinti demum et sexti saeculi[2]). Neque solum personas, tempora, sed etiam urbes hac exercitatione rhetorica laudandas esse praecipiunt Hermog. p. 22, 14, Theon II 118, 19, Menand. III 433, 13: *καλλιωπίσεις τὸν λόγον ... ἐκφράσεσί τισιν ἐν τῷ ἐπαίνῳ τῆς πόλεως, στοῶν καὶ λιμένων καὶ ποταμῶν καὶ πηγῶν καὶ ἄλσεων.*

In Romae autem laudibus plerumque aquaeductus et

[1]) Ab eadem comparatione Martialis epig. 1 laudat amphitheatrum, quod septem mundi miracula superare cantat.

[2]) Vide Friedlaenderi commentarium ad Iohannem Gazensem et Paulum Silentiarium, Lips. 1912, p. 95—103: „Beschreibung in der Festrede."

De laude aquaeductuum, cloacarum, theatrorum

cloacae, nonnumquam theatra quoque, templa, statuae descripta sunt. Atque Rutilio, qui similiter ac Strabo et Ammianus Marcellinus ex terra peregrina Romam profectus verbis admirationis plenis urbem praedicat, omnium urbis operum memoria dignissimi videntur aquaeductus, quos his versibus describit (I 97):

„Quid loquar aerio pendentes fornice rivos,
qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicas crevisse in sidera montes;
tale giganteum Graecia laudet opus.“

Ab eodem comparationis loco Frontinus quoque aquaeductus urbis celebrat (de aq. 16): „tot aquarum tam multis necessariis molibus pyramidas videlicet otiosas conpares aut cetera inertia sed fama celebrata opera Graecorum[1]).“

Pergit autem Rutilius in hac aquarum descriptione (I 101):

„Intercepta tuis conduntur flumina muris;
consumunt totos celsa lavacra lacus.“

„Flumina“ his operibus constructis Romam adducta uberiore descriptione laudat Strabo V 3, 8 (p. 372, 20): *τοσοῦτον δ'ἐστὶ τὸ εἰσαγώγιμον ὕδωρ διὰ τῶν ὑδραγωγίων, ὥστε ποταμοὺς διὰ τῆς πόλεως καὶ τῶν ὑπονόμων ῥεῖν, ἅπασαν δὲ οἰκίαν σχεδὸν δεξαμενὰς καὶ σίφωνας καὶ κρουνοὺς ἔχειν ἀφθόνους, ὧν πλείστην ἐπιμέλειαν ἐποιήσατο Μάρκος Ἀγρίππας, πολλοῖς καὶ ἄλλοις ἀναθήμασι κοσμήσας τὴν πόλιν.*

Neque minus dignus est quem commemoremus Cassiodorus, qui scriptor aquaeductus et thermas, quas Rutilius quoque versu 102 significat, amplissimis effert verbis (var. VII 6, 2): „In formis autem Romanis utrumque praecipuum est, ut fabrica sit mirabilis et aquarum salubritas singularis[2]). quot enim illuc flumina

---

[1]) Hunç Frontini locum affert Zumptius ad Rutilium Namatianum, Berolin. 1840, p. 67.

[2]) Cassiodorus hic sequitur rhetorum *περὶ ἐκφράσεως* praeceptum, quod tradit Theon II 119, 22: *τόπους ... ἐκφράζωμεν ... ἀφορμὰς ἕξομεν λόγων καὶ ἐκ τοῦ καλοῦ καὶ ἐκ τοῦ χρησίμου* (similiter Hermog. 23, 6, Quintil. inst. or. III 7, 27).

quasi c o n s t r u c t i s m o n t i b u s[1]) perducuntur, naturales credas alveos soliditate saxorum, quando tantus impetus fluminis tot saeculis firmiter potuit sustineri. ... 3. Respiciamus certe aquarum copia quantum Romanis moenibus praestat ornatum. nam thermarum illa pulchritudo quid esset, si dulcissima quaedam aequora non haberet?" Sequenti quoque paragrapho, qua aquae Virgo et Claudia celebrantur, rhetoricus color inest (VII 6, 3): „currit aqua V i r g o sub delectatione purissima, quae ideo sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur[2]). nam cum aliae pluviarum nimietate terrena commixtione violentur, haec aerem perpetue serenum purissime labens unda mentitur. quis possit talia sermonibus idoneis explicare?[3]) 4. C l a u d i a m per tantam fastigii molem sic ad Aventini caput esse perductam, ut cum ibi ex alto lapsa ceciderit, c a c u m e n i l l u d e x c e l s u m quasi imam vallem i r r i g a r e videatur" (cf. Menand. 352, 26 *εἰ δὲ ε ὔ ν δ ρ ο ς (ἡ ἀκρόπολις, ἐρεῖς) ὅτι κ α ὶ ὑ ψ η λ ὴ ο ὖ σ α πρὸς χρείαν ἐστὶν αὐτάρκης*).

Sequentibus deinde verbis Cassiodorus hos aquaeductus verbose cum Nilo[4]) componit, quod flumen secundum rhetorum praecepta, quo maior sit laus Virginis et Claudiae, vituperat, quod certis tantum temporibus aqua abundet, cum Claudia Romana semper et aequaliter fluat.

Ab eodem loco utilitatis etiam P l i n i u s aquas urbis laudat (XXXI 41): „Clarissima aquarum omnium in toto orbe f r i g o r i s s a l u b r i t a t i s q u e p a l m a praeconio urbis Marcia est, inter reliqua deum munera urbi tributa", et uberius aeris temperationem et salubritatem his aquaeductibus debitam celebrat R u t i l i u s I 105:

„Frigidus aestivas hinc temperat halitus auras
innocuamque levat purior unda sitim."

Una cum his aquaeductibus v i a s s t r a t a s et c l o a c a s urbis

---

[1]) Similiter Rutilius I, 99.

[2]) Haec est laus scholastica a nomine sumpta (cf. p. 26 sq.).

[3]) cf. p. 7.

[4]) Aquarum ductus saepius videntur cum Nilo compositi esse: dicit enim Cicero de leg. II 1, 2: „ductus aquarum, quos isti N i l o s et Euripos vocant."

admirantur Dionys. Hal. III 67, 5: *ἔγωγ' οὖν ἐν τρισὶ τοῖς μεγαλοπρεπεστάτοις κατασκευάσμασι τῆς Ῥώμης, ἐξ ὧν μάλιστα τὸ τῆς ἡγεμονίας ἐμφαίνεται μέγεθος, τάς τε τῶν ὑδάτων ἀγωγὰς τίθεμαι καὶ τὰς τῶν ὁδῶν στρώσεις καὶ τὰς τῶν ὑπονόμων ἐργασίας* et Strabo V 3, 8 (p. 372, 13): *οὗτοι (οἱ Ῥωμαῖοι) προὐνόησαν μάλιστα ... στρώσεως ὁδῶν καὶ ὑδάτων εἰσαγωγῆς καὶ ὑπονόμων τῶν δυναμένων ἐκκλύζειν τὰ λύματα τῆς πόλεως εἰς τὸν Τίβεριν.*

Cloacarum autem praedicationem protulerunt etiam Plinius XXXVI 104: „cloacas, opus omnium dictu maximum, subfossis montibus atque ... urbe pensili subterque navigata .... 106. quatitur solum terrae motibus, durant tamen a Tarquinio Prisco annis DCC prope inexpugnabiles“, Cassiodorus III 30, 1: „... propter splendidas Romanae cloacas civitatis ... 2. Videas illic fluvios quasi montibus concavis clausos per ingentia signina decurrere: videas structis navibus per aquas rapidas non minima sollicitudine navigari, ne praecipitato torrenti marina possint naufragia sustinere“, Strabo V 3, 8 (p. 372, 18): *οἱ ὑπόνομοι συννόμῳ λίθῳ κατακαμφθέντες ὁδοὺς ἁμάξαις. χόρτου πορευτὰς ἐνίας ἀπολελοίπασιν.*

Ex aliis descriptionibus singulorum urbis operum addimus laudationes theatrorum. Exemplum autem accuratae descriptionis in laude theatri praebet Plinius XXXVI 114: „Hic (M. Scaurus) fecit opus maximum omnium, quae umquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam aeternitatis destinatione. theatrum hoc fuit; scaena ei triplex in altitudinem CCCLX columnarum ... ima pars scaenae e marmore fuit, media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriae, summa e tabulis inauratis; columnae, ut diximus, imae duodequadragenum pedum.“ In Calpurnii quoque versibus (ecl. 7, 23—84), quos hic citare longum est, rusticus quidam theatrum accurate depingit[1]), neque minus accurata profertur descriptio in Cassiodori petitione conservandi et reno-

[1]) Haec rustici oratio ad praecepta rhetorica est revocanda; nam similem *θέσιν* ponit Priscian. d. pr. rh. 28 (p. 558, 17): „quibus verbis uti potuisset rusticus, cum primum aspexerit navem“ (apud Calpurn. „theatrum“).

vandi theatri (var. IV 51, 4): „caveas illas saxis pendentibus apsidatas ita iuncturis absconditis in formas pulcherrimas convenisse, ut cryptas magis excelsi montis crederes quam aliquid fabricatum esse iudicares"; quae verba ex usu rhetorico sunt, cum saepe in descriptionibus natura et ars compositae sint (conferas enim Ovid. met. III 157 sq., XI 235 sq.; Claudian. VI Hon. cos. 50; Aelian var. hist. III 1)[1]).

Denique hic breviter adnotamus ab Cassiodoro, qui auctor cum impendentem urbis ruinam ante oculos haberet, omnibus scriptoribus magis pulchritudinem Romae laudavit, statuas quoque et columnas urbis accurata descriptione praedicatas esse (var. VII 15, 2—3)[2]).

Appendix.

Sed priusquam ad mores atque facta incolarum, a quibus urbem laudari iubent rhetores, transeamus, restat, etsi non arte cum proposito cohaerere videtur, ut de eis scriptorum locis disseramus quibus amor et desiderium Romae exprimuntur. Quem *ἀπὸ τῆς εὐνοίας τῆς περὶ τὴν πόλιν* (Menand. III 382, 12) locum optime cognoscimus ex eis versibus, quibus poetae ab urbe discedentes Romae valedicunt. Nam hoc quoque modo urbes celebrari posse et a declamatoribus praedicatas esse ex ea Menandri praeceptorum particula apparet, quae inscripta est *περὶ συντακτικοῦ* (Men. III 430, 10—434, 10). Atque ex poetis ex urbe discedentibus praeter Ovidium, qui cum in exilium abire cogeretur, nonnullis carminum locis desiderium patriae exprimit, maxime memoria dignus est Cl. Rutilius Namatianus. Hic enim poeta, cuius in Romae encomio omnium fere, quos eruimus, locorum ad laudes urbis spectantium

De amore et desiderio Romae

Rutilius Romae valedicit

[1]) Quos locos affert Vollmerus ad Stat. silv. I 3, 14.

[2]) Quibus de paragraphis idem dicendum est, quod in universum de Cassiodori scribendi ratione profert Gregorovius l. c. I 277 sq.: „Die Edikte über die Erhaltung der Stadt in der überladenen Sprache des Cassiodor sind ein Gemisch vom pomphaften Hofstil des Kanzlers und von gutmütiger Geschwätzigkeit des Pedanten, und sowohl die anstaunende Bewunderung der alten Monumente Roms, wie das rhetorische Behagen, durch Auskramen gelehrter Kenntnisse über Ursprung, Zweck und Bau der Gebäude die barbarische Herkunft des fremden Herrschers gleichsam zu verbergen ... verraten nur zu sehr, daß die Zeit des Barbarismus angebrochen war."

exempla invenimus cuiusque panegyricum imperii Romani ipsum quoque totum scholasticis declamationibus deberi infra ostendetur, etiam dispositionem huius encomii secundum artem rhetoricam fecit. Quod ita demonstrabimus, ut eius et Menandri verba iuxta componemus.

Rutilius I	Menander *περὶ συντακτικοῦ.*
1— 10	p. 430, 30: *χάριν ὁμολογήσει τῇ πόλει*
13— 14	431, 10: *ἐπαινέσεις δὲ καὶ… τὰ ἤθη τῶν ἀνδρῶν, ὅτι ἥμεροι καὶ φιλόξενοι*
19— 34	431, 15: *μετὰ δὲ τὸ πρῶτον μέρος ἥξεις πάλιν ἐφ᾽ ἕτερον μέρος, ἐν ᾧ μνησθήσεται καὶ τῶν τόπων, εἰς οὓς ἐπανελεύσεται*
20 sqq.	431, 19: *εἰ δὲ παρὰ τὴν αὑτοῦ πατρίδα σπεύδει, ἐρεῖς.*
20— 30	432, 9: *καὶ τὴν χρείαν ἐρεῖς δι᾽ ἣν σπεύδεις· δεῖ γὰρ ταῖς ἀνάγκαις τοῦτο θεραπεύειν*
	… 13: *διὸ καὶ πᾶσα ἀνάγκη τῷ νόμῳ πείθεσθαι τῆς πατρίδος. τοῦτο δέ σοι ἁρμόσει λέγειν… ὅταν ἀπ᾽ ἄλλης εἰς τὴν σαυτοῦ πατρίδα καλῇ.*
27— 30	433, 28: *εἰ δὲ πολλῷ ἐλάττους εἶεν αἱ πόλεις, παρ᾽ ἃς ἂν σπεύδῃ τις, τότε τὴν χρείαν αὐξήσεις, δι᾽ ἣν σπεύδει*
31— 34	431, 20: *τίς γὰρ οὐ ποθήσει τὴν οἰκίαν;*
35— 36 43— 44 (106)	431, 8: *τὸ ὅτι ἀνιᾶται μέλλων τούτων χωρίζεσθαι ἐφ᾽ ἑκάστῳ σχεδὸν εἰπεῖν τῶν νοημάτων, ἵνα συντακτικὸν εἶδος ὁ λόγος λάβῃ.*
52— 54	431, 25: *καὶ ὅτι ἐπιλήσῃ αὐτῶν οὐδέποτε, καὶ ὅτι διαδώσεις λόγον ἁπανταχοῦ θαυμάζων αὐτῶν τὰ ἐξαίρετα.*
47—144	430, 31: *ἐπαινέσεις δὲ αὐτήν, ὁπόθεν ἂν ὁ καιρὸς αὐτῇ διδῷ τὰ ἐγκώμια,*
67— 68	*οἷον ἀπὸ τῶν ἀρχαίων εἴ τι σεμνὸν ἔχοις,*
113—114	*ἀπὸ τῶν ἀέρων,*

Rutilius I	Menander περὶ συντακτικοῦ.
93—110	ἀπὸ τοῦ εἴδους τοῦ κάλλους, οἷον ἀπὸ στοῶν καὶ λιμένων καὶ ἀκροπόλεως καὶ ἱερῶν πολυτελῶν καὶ ἀγαλμάτων.
201—202	431, 5: ἐπαινέσεις δὲ μετὰ ταῦτα ... καὶ θέατρα
129— 32	433, 13: καλλιωπίσεις δὲ τὸν λόγον καὶ εἰκόσι καὶ
passim	ἱστορίαις καὶ παραβολαῖς καὶ ταῖς ἄλλαις γλυκύτησι
145—154	431, 22: εἶτα συνεύξῃ που τούτοις ... τὰ κάλλιστα,
155—156	431, 27: συνεύξῃ δὲ ἑαυτῷ καὶ πλοῦν ἀγαθὸν καὶ ἐπάνοδον χρηστήν,
(162)	431, 29: καὶ ὅτι ἂν οὕτω τύχῃ ... παῖδας ... ἀποστελεῖς ... ὁρμένους τὴν αὐτὴν πόλιν
192	433, 4: τότε πάλιν ποθήσω τὴν πόλιν ... τίς γὰρ Ἴβηρσι παρατυχὼν ἢ παρὰ Λωτοφάγους ἀφικόμενος οὐκ ἂν ὑμᾶς προτιμήσειεν, ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος οὐδὲ τοκήων
193—196	ὡς Ὅμηρός πού φησι· ἧς γαίης καί καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι.

Notabilis est poetae cum rhetorum praeceptis consensus[1]), ut vix a recto aberremus, si versus quoque Homerici (Odys. I 57) mitationem, quam exhibet Rutilius 193—196:

„Nec locus ille mihi cognoscitur iudice fumo

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

195. quamquam signa levis fumi commendat Homerus,
dilecto quotiens surgit in astra solo",

inde profectam esse contendamus, quamquam cum Ovidio quoque eiusdem loci in mentem venerit (ex Pont. I 3, 29; 33):

29. „rursus amor patriae ratione valentior omni,

---

[1]) Quod Rutilius ipso numero versuum, quibus Romae valedicit, convenit cum praeceptis Menandri (cf. III 434, 7: *προάξεις τὴν συντακτικὴν συγγραφικῶς καὶ ἄχρι διακοσίων στίχων ἢ τριακοσίων)*, casu ac fortuito accidisse puto.

33. non dubia est Ithaci prudentia; sed tamen optat
fumum de patriis posse videre focis"

dubium videtur esse, utrum Rutilius hic Menandrum sequatur an Ovidium ipsum imitetur, cuius vestigia in aliis quoque huius encomii versibus nonnunquam inveniuntur[1]). Ovidium autem, cuius poesin cum arte scholastica artissime coniunctam esse non semel demonstravimus, ipsum quoque illum Homeri versum ex exemplis declamatoriis[2]) sumpsisse et fortasse ex eodem fonte rhetorico hausisse atque Menandrum suspicamur. Hunc enim illa *περὶ συντακτικοῦ* praecepta non ipsum excogitavisse vel inde apparere putamus, quod duo varia scripta ostendi potest eum secutum esse[2]).

---

[1]) Rutil. I 5 = Ovid. tr. III 12, 35: Alias nonnullas Ovidi imitationes componit J. Vessereau, ed. Rutil. Paris 1904, p. 386 sq.

[2]) Qui Homeri versus quantopere ex rhetorum ludis pendeat, ex his, quos legimus, locis apparet: Anth. Pal. IX 395:

„Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πάτριδος", εἶπεν Ὀδύσσευς·
ἐν γὰρ τοῖς Κίρκης ἔγχυτον οὐκ ἔφαγεν,
οὗ μόνον εἰ καὶ κάπνον ἀποθρώσκοντ' ἐνόησεν,
εἶπεν ἂν οἰμώζειν καὶ δέκα Πηνελόπαις,

quo in carmine alter quoque Homeri versus a Menandro III 433, 7 citatus affertur. Exemplum hominis patriae desiderio capti Ulixes affertur etiam a Cicerone, de leg. II 1, 3: „Quare inest nescio quid et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet, siquidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacam ut videret, immortalitatem scribitur repudiasse." Etiam dignior, quae hic citetur, est Dionis Chrysost. de exilio oratio, in qua Ulixes inducitur et ille Homeri versus ipse significatur (de exil. or. XIII 4): *καὶ δὴ ἀνεμιμνησκόμην Ὀδυσσέως τε παρ' Ὁμήρῳ κατοδυρομένου πολλάκις αὐτόν, ἀνδρὸς ἥρωος οὐδαμῶς τε ἀδυνάτου καρτερεῖν, πολλὰ ὅμως ἀνάξια λέγοντος καὶ θρηνοῦντος ἑκάστοτε παρὰ τῇ θαλάττῃ διὰ πόθον τῆς πατρίδος· τέλος δέ, ὥς φησιν ὁ ποιητής, ἐπεθύμει καπνὸν ἰδεῖν ἀπὸ τῆς αὐτοῦ γῆς ἀνιόντα...* (tantopere eum) *κατίσχυεν ὁ τῆς πατρίδος πόθος τε καὶ ἔρως* (conferas quoque Himerii orat. VIII 1: *Ὀδυσσέα παρ' Ὁμήρῳ πατρίδα ποθοῦντα καὶ τῶν οἰκείων τὴν μνήμην, εἰς ἀρετῆς ἐπίδειξιν ἤγειρε ξενίας χάριν ἀγωνοθετεῖν ὁ Ἀλκίνοος).*

[3]) Rhetorem duorum auctorum scripta composuisse neque apte conexuisse ex dispositione concludi potest. Tractandum enim sibi proposuit Menander priore parte (p. 431) de homine, qui domum reversurus urbi externae, posteriore (p. 432—434) autem de viro, qui peregre profecturus urbi patriae valedicit. Tamen in hac posteriore parte praecepta dantur, quae ad priorem modo partem revocanda sunt (p. 432, 10—23); hunc errorem Menander ipse vidit et bis corrigere studet (p. 432. 14): *τοῦτο δέ σοι ἁρμόσει λέγειν οὐχ ὅταν ἀπὸ τῆς*

Rutilium igitur versus, quibus Roma discedens urbem laudat, secundum artem rhetoricam scripsisse intelleximus. Tamen hoc Romae encomium usitatis urbium panegyricis excellit, quod tumida verba et declamatoria aliquandiu interrumpuntur eis versibus, ex quibus poetae ipsius animus et vera admiratio amorque Romae urbis elucet. Versus enim (I 51):

„Te canimus semperque sinent, dum fata, canemus[1]):
sospes nemo potest immemor esse tui.
Obruerint citius scelerata oblivia solem,
quam tuus e nostro corde recedat honos",

quibus hodie quoque omnes, qui ex hac urbe pulcherrima discedunt, commoventur, digni sunt qui comparentur cum illis Ovidi versibus, quibus Goethe ipse poeta noster princeps desiderium Romae optime expressum ratus urbi valedicit[2]).

Tales autem sententiae, quibus desiderium et amor Romae[3]) exprimuntur, cum etiam aliis compluribus scriptorum locis inveniantur,

---

αὐτοῦ πατρίδος ἐφ' ἑτέραν σπεύδῃς γῆν, ἀλλ' ὅταν ἀπ' ἄλλης εἰς τὴν σαυτοῦ πατρίδα καλῇ, et (p. 432, 22): *ταῦτα δὲ ἐρεῖς, ὅταν εἰς τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα, ὡς ἔφαμεν, ἀπὸ τῆς ἀλλοδαπῆς ἀπαίρειν μέλλῃς.* Hoc loco rhetor cum verbosiore libro breviorem videtur in unum contraxisse, quod ei non contigit nisi hisce interpolationibus. (Similem Menandri scribendi indiligentiam ostendit in capitibus *περὶ ἐπιβατηρίου* (III 389, 13) et *περὶ λαλιᾶς* (III 388, 25) inscriptis Guilelmus Nitsche, l. c. p. 12.

[1]) Tamen versus 51 quidem colore quodam rhetorico tinctus videtur esse, cum Aristides (§ 4) similiter declamet: *τὴν δὲ πόλιν ᾄδουσι μὲν πάντες καὶ ᾄσονται.*

[2]) Goethe: Zweiter Aufenthalt in Rom (finis): „Bei meinem Abschied empfand ich Schmerzen einer eigenen Art. Diese Hauptstadt der Welt, deren Bürger man eine Zeitlang gewesen, ohne Hoffnung der Rückkehr zu verlassen, gibt ein Gefühl, das sich durch Worte nicht überliefern läßt. Niemand vermag es zu teilen, als wer es empfunden. Ich wiederhole mir in diesem Augenblick immer und immer wieder Ovids Elegie, die er dichtete, als die Erinnerung eines ähnlichen Schicksals ihn bis ans Ende der bewohnten Welt verfolgte. Jene Distichen wälzten sich zwischen meinen Empfindungen immer auf und ab: . . . ." Sequuntur Ovidi versus tr. I 3, 1—4; 27 sq.

[3]) Amor patriae Romae (cf. Men. III 394, 16: *πάντως τὸν ἔρωτα τὸν περὶ τὴν πόλιν ἐνδείξεται ὁ λέγων*) elucet ex his quoque locis: Ovid. Pont. II 8, 27: „Per patriae nomen, quae te tibi carior ipso est", Cassiod. var. I 21, 3: „Quid iam de Roma debemus dicere, quam fas est ipsis liberis plus amare?" Themist. or. XIII 180a: *δίδοιτε*

ipsae quoque, quamvis verum animi motum redoleant, saepe ex schola declamatoria sumptae sunt, in qua eas usitatas fuisse apparet ex Menandri, quae supra (p. 72 sq.) allata sunt, praeceptis (III 431, 20; 25; 433, 4), quibus adiciamus (378, 8): *πόλιν .. πάλαι .. ἰδεῖν ἐπεπόθει*, (382, 15): *ἐπόθουν .. πάλαι .. κάλλη .. τῆσδε τῆς πόλεως.*

Atque primum quidem hic afferendi sunt Ovidi versus in exilio Pontico scripti, e quibus desiderium patriae amissae elucet. Quorum versuum etsi compluribus verum hominis dolentis affectum expressum esse non negamus:

(cf. tr. III 3, 53:
„cum patriam amisi, tunc me periisse putabo",
tr. IV 9, 12
„et sola est patria poena carere mea"),

in aliis tamen talibus sententiis Ovidius discipulum artis se praebet velut in versibus illis ex Pont. I 3, 33, quibus Ulixes exemplum hominis desiderio patriae capti profertur (cf. p. 74), vel Pont. I 2, 47:

„aut ubi decipior melioris imagine sommi,
aspicio patriae tecta relicta meae",

quibuscum versibus componere licet haec verba Menandri III 384, 28: *ταῦτα ἐπόθουν, διὰ τοῦτο οὔτε νύκτα οὔτε ἡμέραν ἐδόκουν ἡσυχάζειν φλεγόμενος τοῖς περὶ ταῦτα ἔρωσι.*

Nec minus amor et desiderium Romae; „*τῆς φιλτάτης πόλεως*"[1]), his versibus exprimitur:

Ovid. tr. V 4, 3:
„qui me flens dixit: 'tu, cui licet, aspice Romam!
heu quanto melior sors tua sorte mea est!"

τοῖς ἐμοῖς παιδικοῖς ἐρᾶν μὲν Ῥώμης, (ἀντερᾶσθαι δὲ ὑπὸ Ῥώμης), id quod modestius petit Rutil. I 163:

„Fortunatus agam votoque beatior omni,
semper digneris si meminisse mei.")

[1]) Eusebius Const. syllog. 22 (p. 188, 2. Heickel).

ibidem tr. III 12, 25:

„O quater, et quotiens non est numerare, beatum
non interdicta cui licet urbe frui";

similiter Rutilius I 2':

„Tam cito Romuleis posse carere bonis[1]).
Quid longum toto Romam venerantibus aevo?
Nil umquam longum est, quod sine fine placet.
O quantum et quotieus possum numerare beatos,
nasci felici qui meruere solo!"

Denique adscribamus Callinici Petraei historici verba, quibus qui Romam non viderit infeliciorem esse quam caecum, qui solem conspicere non possit, contenditur (Frg. H. G. ed Mueller vol. III 663): *Τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς εἴρηται τυφλῶν εἶναι ζημίαν τὸ μὴ τὸν ἥλιον βλέπειν· ἐγὼ δ'ἂν ἐπὶ τῶν θεωμένων φήσαιμι, τὴν ἴσην εἶναι ζημίαν, εἴ τις μὴ ταύτην (τὴν 'Ρώμην) θεάσαιτο, καὶ τῶν παρελθόντων εἰς φῶς ὅσοι μὲν ἀπείρατοι τῆς ἡμετέρας ἔμειναν, νόθον τινὰ βίον, ὡς εἰπεῖν, διαντλοῦσιν, ὅσοι δὲ ἐν πείρᾳ γεγένηνται γνήσιοι τοῦ βίου μέτοχοι, καὶ πλέον τῶν ἑτέρων διαλλάττουσιν ἢ τῶν βεβήλων οἱ τελεσθέντες.*

II.

De laudibus incolarum urbis.

Sed hanc erga Romam admirationem et hunc amorem auctores non solum propter pulchritudinem vel magnitudinem urbis sed etiam propter praeclara incolarum facta habent, id quod optime elucet e Rutili Romae encomio, in quo magis quam urbs ipsa Romanorum facta et institutiones laudibus efferuntur. Hoc quoque plane ex usu rhetorum est, qui praeter positionem originemque urbis ipsius in panegyricis urbium etiam institutiones et facta incolarum respici iubent. Quae cum ita sint, nunc quoniam omnia ad encomium urbis ipsius a scriptoribus poetisque prolata tractavimus, posteriore parte de eis laudationibus dicemus, quibus incolae urbis celebrantur.

---

[1]) Similem sententiam exhibet Menand. III 394, 8: *τίς δ'ἂν ἀνέχοιτο ἀκροπόλεως τοιαύτης κάλλος καταλιπεῖν;*

Praecipit autem Menander laudibus *ἀπὸ θέσεως καὶ γένους* ad finem perductis tertio loco ut urbs praedicetur *ἀπ' ἐπιτηδεύσεων*, quarto denique *ἀπὸ πράξεων*, quae secundum quattuor virtutes proferendae sint[1]); Hermogenes autem *πράξεις* partem *ἐπιτηδεύσεων* ratus virtutes separatim tractandas esse docet (p. 16, 10). Nos neutrum rhetorem accurate sequentes priore huius partis capite disseremus de facultatibus et virtutibus Romanorum, posteriore de factis, quorum maximum est imperium orbis terrarum ab illis arreptum.

1. De facultatibus et virtutibus Romanorum.

De facultatibus Romanorum

Atque primum quidem nonnulla de *ἐπιτηδεύσεσι* Romanorum dicemus, quae: *αἱ μὲν κατὰ τὴν τῆς πολιτείας κατάστασιν θεωροῦνται, αἱ δὲ κατὰ τὰς ἐπιστήμας, αἱ δὲ κατὰ τὰς τέχνας, αἱ δὲ κατὰ τὰς δυνάμεις* (Menand. III 359, 18 sq.). Laudem autem institutorum rei publicae Romanae[2]), cum imperatorum temporibus plerumque cum panegyricis principis ipsius confunderetur, solam non invenimus nisi in Aristidis Romae encomio, ubi (§ 90) *πολιτεία* Romanorum secundum Cicer. de rep. *κρᾶσις ἁπασῶν τῶν πολιτειῶν* esse dicitur, quam laudationem Menander in praeceptis suis significat, cum dicit (III 359, 26): *παρὰ πάσας δὲ ταύτας ἡ μικτὴ ἐκ πάντων τούτων, ὁποία ἥ τε Ῥωμαϊκὴ* .... 360, 2: *εἰ δὲ μικτήν, ὅτι ἐξ ἁπασῶν εἴληφε τὰ κάλλιστα. τοῦτο ... εἴρηκεν ... Ἀριστείδης ἐν τῷ Ῥωμαϊκῷ λόγῳ*[3]).

Ad secundam autem et tertiam *ἐπιτηδεύσεων* laudem, quae est *ἀπὸ τῆς ἐπιστήμης καὶ τῶν τεχνῶν*, pertinent omnes ei loci, quibus Romanorum facultas regnandi celebratur — sed in laudibus ad-

---

[1]) Menand. III 361, 12: *τὰς πράξεις κατὰ τὰς ἀρετὰς καὶ τὰ μέρη αὐτῶν* (idem 375, 3; 381, 27). cf. Fr. Leo: Die griechisch-römische Biographie, p. 227: „Das historische Element ist (in den epideiktischen *ἐγκώμια*) zurückgedrängt und in eine der rednerischen Epideixis gemäßere Form aufgelöst worden durch die Zerteilung der Taten unter die einzelnen Tugenden."

[2]) Celeberrimam illam Polybii (VI 11—18) laudem formae rei publicae Romanae, cui magnitudinem imperii deberi contendit, non afferamus, quod vestigia rhetorica non praebet.

[3]) Haec de *πολιτείας* laudibus praecepta Menandrum non ipsum ex Aristidis rationibus finxisse (cf. p. 2), sed iam multis annis ante eum illa

ministrationis imperii Romani (p. 129 sqq.) demum hos tractare liceat —; hic tantum afferamus: Ciceron. rep. II 19, 34: „influxit enim non tenuis quidam e Graecia rivulus in hanc urbem, sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium", Sulpiciam 29:

„Ipsa domi leges et Graia inventa retractans
omnia ...... molli ratione regebat",

Dionys. Hal., qui cum Romanos semper virtuti studuisse dicat exponit (ant. I 90, 1): *(οἱ Ῥωμαῖοι) ἐκ παντὸς οὗ συνῳκίσθησαν χρόνου βίον Ἕλληνα ζῶντες καὶ οὐδὲν ἐκπρεπέστερον ἐπιτηδεύοντες πρὸς ἀρετὴν νῦν ἢ πρότερον.*

Ad quartum denique *ἐπιτηδεύσεων* locum, quo *κατὰ τὰς δυνάμεις ... ῥητορικὴ*[1]) *καὶ ἀθλητικὴ καὶ ὅσα τοιαῦτα* (Menand. III 361, 1) tractandae sunt, spectant hae Cassiodori laudationes (Var. IX 21, 4): „arma enim et reliqua gentes habent: sola reperitur eloquentia, quae Romanorum dominis obsecundat;" var. IV 6, 3: „Roma ... illa eloquentiae facunda mater."

Sed haec leviora. Graviores autem sunt permulti illi loci, quibus virtutes Romanorum efferuntur. Quae vel in universum vel singulae laudes suas habent, ut pietas erga deos, fides, probitas, iustitia, fortitudo, clementia, quas omnes ut in hoc genere referat orator commendat Cicero de orat. II 343: „Nam clementia, iustitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus iucunda est auditu in laudationibus." **De virtutibus Romanorum**

Atque primum quidem in universum Romanorum virtutes celebrant Plinius VII 130: „Gentium in toto orbe praestantissima una omnium virtute haud dubie Romana extitit", Ammianus Marcell. XIV 6, 21: „cum esset aliquando[2]) virtutum omnium **Virtus Romana**

---

exstitisse apparet ex his verbis Dionysii Hal. art. rh. 6, 3: *Ἐν τῇ ἀγωγῇ γενόμενοι ἐπὶ τῶν κοινῶν τὴν πολιτείαν ληψόμεθα, ὅτε ἡ δημοκρατία ἢ ἀριστοκρατία.*

[1]) Quam etiam Cicero de orat. II 344 commendat: „Sapientia ... et ipsa eloquentia admirationis habet non minus."

[2]) Sallustius eandem virtutem pristinam tunc perditam laudat: (Catil. 9, 2) „cives cum civibus de virtute certabant."

domicilium Roma", idem XVI 10, 13: „Romam ingressus, imperii virtutumque omnium larem", Cassiodor. var. IV 6, 3: „Roma ... illa virtutum omnium latissimum templum", qui scriptor, ut hac dictione uteretur, commotus videtur esse his verbis Menandri III 426, 26: *ἔστι γὰρ ἡμῖν ἡ πόλις ὥσπερ τέμενος ἀρετῶν*. Amplissimis autem verbis Iulianus Romam magistram virtutum appellat, qua laude nulla ei videtur melior et dignior esse; scribit enim or. I 6B „*τῶν μὲν οὖν ἄλλων τοὺς ἐπαίνους διὰ τοῦτ' ἀφήσειν μοι δοκῶ, τῆς Ῥώμης δὲ τὸ κεφάλαιον τῶν ἐπαίνων αὐτός, ὦ βασιλεῦ, συλλαβὼν ἐν βραχεῖ καὶ διδάσκαλον ἀρετῆς προσειπών, τῷ δοῦναι τὸ κάλλιστον τῶν ἐγκωμίων, τοὺς παρὰ τῶν ἄλλων λόγους ἀφῄρησαι. τί γὰρ λέξομεν ἡμεῖς περὶ αὐτῆς τοιοῦτον ἕτερον; τί δὲ ἄλλος τις εἰπεῖν ἔχει; ὥστε μοι δοκῶ σεβόμενος εἰκότως τὴν πόλιν τούτῳ τιμᾶν αὐτὴν πλέον, τῷ παραχωρεῖν σοι τῶν εἰς αὐτὴν λόγων.*

Ex poetis autem hunc Romae laudationis locum exhibent: Manilius I 803:

„illa deum sedes, haec illis proxima, divum
qui virtute sua similes vestigia tangunt",

Grattius Cyn. 323:

„Ergo illi ex habitu virtutisque indole priscae
inposuere orbi Romam caput, actaque ab illis
ad caelum virtus summosque tetendit honores",

Rutilius I 9:

„Semina virtutum demissa et tradita caelo
non potuere aliis dignius esse locis."

„Virtutem Romanam" porro praedicant hi scriptores: Florus I 17, 3; 8; I 13, 16; Ammian. Marcell. XV 4, 3; Iordanes Rom. 132; Inc. Octavia 291; Sidon. Apoll. c. 2, 13.

Pieta Romana

Iam vero ad singulas Romanorum virtutes transeuntes primum accuratius dicemus de Romanorum erga deos pietate, cum hic *ἀπ' εὐσεβείας* locus in encomiis huius „gentis religiosissimae" maximi sit momenti. Tractabimus autem hoc argumentum secundum eam *εὐσεβείας* partitionem, quam exhibet Menander III 361, 20: *τῆς*

δ' αὖ περὶ τοὺς θεοὺς εὐσεβείας τὸ μέν τί ἐστι θεοφιλότης, τὸ δὲ φιλοθεότης.

Atque ad eiusdem verba (III 361, 22): *θεοφιλότης μὲν τὸ ὑπὸ τῶν θεῶν φιλεῖσθαι καὶ παρὰ τῶν θεῶν πολλῶν τυγχάνειν* omnes eae auctorum laudationes spectant, quibus Romani a dis defendi eorumque voluntate imperium obtinere dicuntur; id quod etiam Priscianus commendat his verbis (praeex. rhet. 23 [p. 556, 44]): „laudentur et a deis, in quorum sunt tutela". Quam Romanorum laudem praeter hunc locum Ciceronis Catil. III, 21: „Quis potest esse ... tam aversus a vero, tam ... mente captus, qui neget ... hanc urbem deorum immortalium nutu ac potestate administrari?" plerumque invenimus apud eos historicos, quos vituperat Polybius (III 47, 8) quod *καταστροφὴν οὐ δυνάμενοι λαμβάνειν οὐδ' ἔξοδον τοῦ ψεύδους θεοὺς καὶ θεῶν παῖδας εἰς πραγματικὴν ἱστορίαν παρεισάγουσιν* ... et (48, 8) *ἐμπίπτουσιν εἰς τὸ παραπλήσιον τοῖς τραγῳδιογράφοις.* In quibus praecipue habendus est Dionysius Halic., qui scriptor permultis historiarum locis[1]) deorum auxilio et voluntate Romanos crevisse demonstrare studet; neque minus huc pertinent Livius, qui eandem rem Romanis laudi vertit (I 4, 1): „Sed debebatur, ut opinor, fatis tantae origo urbis maximique secundum deorum opes imperii principium", I 16, 7: „nuntia inquit (Romulus), Romanis caelestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit", VI 12, 9 ... veniat in mentem unicuique deos esse, qui Romanum adiuvent", XXXVI 17, 15: „omne humanum genus secundum deos nomen Romanum veneratur", et Sallustius bell. Iug. 14, 19: „virtute ac dis volentibus magni estis et opulenti"; neque longe differt Herodianus II 8, 4: *ἀλλ' ὅ τε Ῥωμαίων δῆμος, ᾧ τὴν δεσπότειαν τῶν ἁπάντων ἔνειμαν θεοί.*

Eodem modo Romae deos auxilio esse praedicant hi poetae:
utuntu. ert. III 11, 65:
ad Her. .

1) Eo... *χάνει οὖσα θεοφι*... collegit Liersius: Die Theorie der Geschichtsschreibung des
cf. Schroederum, ...β, Progr. Waldenburg 1886, p. 8 sq.

„Haec di condiderunt, haec di quoque moenia servant“, Claudian. bell. Goth. 506:

„Referunt si vera parentes,
hanc urbem insano nullus qui Marte petivit
laetatus violasse redit; nec numina sedem
destituunt: iactata procul dicuntur in hostem
fulmina divinique volant pro moenibus ignes,
seu caelum seu Rome tonat.“

Quem *ἀπὸ θεοφιλίας* locum tangunt etiam ei scriptores, qui Martem socium et amicum Romanorum celebrant; conferas quaeso: carm. Anth. Pal. IX 387, 3:

Ἴλιον οἰκεῖται κλεινὴ πόλις, ἄνδρας ἔχουσα
σοῦ (sc. *Ἄρεως) μὲν ἀφαυροτέρους, ἀλλ᾽ ἔτ᾽ ἀρηϊφίλους*

(idem carmen in latinum translatum: P. L. M. IV 109:

„Ilios en surgit rursum inclita, gens colit illam
te Marte inferior, Martis amica tamen),

Velleium Paterc. II 131, 1: „(Iuppiter Capitoline et), auctor ac stator Romani nominis Gradive Mars.“ idem valet de eis auctoribus, qui Romam, quod a Marte condita sit, urbem Martis vel similiter appellant[1]): Vergil. Aen. VI 872; Martial. VIII 65, 12; (Ovid. f. V 553); auct. carm. Anth. Pal. IX 90. Roma dicitur „Martia“ ab: Ovidio Pont. I 8, 24; IV 9, 65; Martial. V 19, 5; Inc. cons. ad Liv. 246; Ausonio XVI 78; quibuscum locis coniungimus hos similes: Melinn. (Stob. III 12), 1: *Ῥώμα θυγάτηρ Ἄρηος*, Sil. It. I 635: „Marte satam“; Inc. Octav. 292; Sidon. Apoll. c. 7, 502; c. 2, 46.

Praeter Martem a scriptoribus urbis patronus praedicatur Iuppiter, qui de Tarpeio monte[2]) tonans fingitur ab his poetis: Lucan. I 195:

„O magnae qui moenia prospicis urbis
Tarpeia de rupe, Tonans“, ... *ἀπ᾽*

maximi

[1]) Quam gloriandi rationem apud tragicos ipsos offendimus ...cundum eam saepe *Παλλάδος πόλιν* appellaverunt cf. Schroederum

[2]) Qui poetae cum pro Capitolio in his versibus T...r III 361, 20: *τῆς*

Silio It. X 360:

„Ipse refulgebat Tarpeiae culmine rupis,
elata torquens flagrantia fulmina dextra (Iuppiter)“,

ibidem X 432:

„Tarpeia, pater, qui templa secundam
incolis a caelo sedem“;

similiter Propertius quoque c. IV 1, 7:

„Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat.“

(cf. Ovid. f. I 201; Calpurn. 4, 88 sq.), et Firmicus mathes. I, 14 „Iuppiter Tarpeiae rupus habitator.“

Themistius praeter Iovem Romae socios invocat Minervam et Quirinum or. XIII 180a: *σὺ δέ, ὦ πάτερ μὲν θεῶν, πάτερ δὲ ἀνθρώπων, Ζεῦ Ῥώμης κτῆτορ καὶ πολιοῦχε, καὶ πρόματερ Ἀθηνᾶ, καὶ Κυρῖνε δαῖμον ἐπίτροπε Ῥωμαίων ἡγεμονίας,* Ovidius etiam Iunonem, quam Romae faventem fingit his versibus (f. VI 51):

„sed neque paeniteat, nec gens mihi carior ulla est:
hic colar, hic teneam cum Iove templa meo.“

Iure igitur hanc urbem, quae tam saepe a loco *θεοφιλότητος* celebrata est, Iulianus epitheto *θεοφιλοῦς* ornat (or. V, 159c): *οἱ τῆς θεοφιλοῦς οἰκήτορες Ῥώμης,* or. V 161B: *ἐν τῇ κρατίστῃ καὶ θεοφιλεῖ Ῥώμῃ,* ep. 59, 446B: *κατὰ τὴν θεοφιλῆ Ῥώμην*[1]). Idem scriptor cum exclamat (conv. 320B): *ποῖα ἔθνη τοσούτους ἄνδρας ἀγαθοὺς... θεοὺς δὲ ἐτίμησαν οὕτω τίνες;* significat Romanorum *φιλοθεότητα,* quam praeter *θεοφιλότητα* in encomiis *εὐσεβείας* tractari iubet Menander III 361, 21.

Ab hoc quoque loco Romani saepe laudes sibi pepererunt. Atque conferas Athenaeum VI 274A: *πάτριος μὲν γὰρ ἦν (αὐτοῖς (τοῖς Ῥωμαίοις)... εὐσέβεια θαυμαστὴ περὶ τὸ δαιμόνιον.*

Nonnumquam autem Romanis a scriptoribus poetisque decori

---

utuntur figura rhetorica denominationis, quam eodem exemplo explicat auct. ad Her. IV 32, (43): „ut si quis Tarpeium loquens de Capitolio nominet.“

[1]) Eodem epitheto Athenae ornatae sunt a Plat. Menex. 237 C: *ὅτι τυγχάνει οὖσα θεοφιλὴς (πόλις),* Isocr. IV 29: *θεοφιλῶς (ἡ πόλις ἔσχεν)* cf. Schroederum, l. c. p. 19.

tribuitur, quod peregrinos deos receperint vel novos procreaverint. Livius enim Camillum haec verba dicentem facit (V 52, 10): „At etiam, tanquam veterum religionum memores, et peregrinos deos transtulimus Romam et instituimus novos. Iuno regina transvecta a Veiis... eqs.", idem lib. XXIX 18, 2: „Vidimus enim, cum quanta caerimonia non vestros solum colatis deos, sed etiam externos accipiatis." Eandem *φιλοθεότητα* uberius in Romae encomio celebrat Claudianus Stilich. III 169:

„Arcanas huc Vesta faces, huc orgia Bacchus
transtulit et Phrygios genetrix turrita leones;
huc defensurus morbos Epidaurius ultro
reptavit placido tractu vectumque per undas
insula Paeonium texit Tiberina draconem."

Nec minus quod ipsa novos deos pepererit Romae gloriam attribuunt hi poetae: Ovidius f. I 510:

„tuque novos caelo terra datura deos",

Claudianus: bell. Gild, I 131:

„si quos Roma recipit
aut dedit ipsa deos",

Rutilius I 49:

„(Roma)... genetrix... deorum."

Qui omnes dei cum Romae templa accepissent[1]) (cf. Menand. III 362, 27: *πλεῖστα ἱερὰ ᾠκοδόμησαν... πάντων θεῶν)* recte Themistius or. XIII 178, b urbem: *σύγκλητον ἀγορὰν θεῶν καὶ... φύλην ἑστιούχων δαιμόνων ὀλβοδοτήρων* appellare poterat. Sed ab aliis quoque scriptoribus Roma similiter deorum sedes vel domus dicitur, velut ab Ovidio tr. I 5, 70: „Roma deum locus", Lucan. III 91: „deum sedes", Auson. XI 1: „divum domus", Flor. I 7, 18: „deorum domicilium", Claudian. VI Hon. cos. 185: „urbem deorum" (cf. Ovid. f. IV 270: „dignus Roma locus, quo deus omnis eat").

[1]) Eodem modo etiam Goethe, poeta noster illustrissimus Romam laudibus effert: Römische Eleg. 4:

„O Römische Sieger! Den Göttern
Aller Völker der Welt bietet ihr Wohnungen an."

Hanc autem urbem, in qua, ut utar verbis Livii V 52, 2: „nullus locus... non religionum deorumque est plenus", nonnunquam epitheto „sacratissimae" ornatam esse non miramur, praesertim cum Roma ipsa quoque dea coleretur (cf. Rutilium I 79; Martial. XII 8, 1)[1]). Quam dicendi rationem legimus praeter hos locos a Moorio l. c. p. 54 citatos: Honorii in Symm. epist. X 77; 80; Cod. Theod. XIV 10, 4; XIV 3, 12; Ammian. Marcell. XXVII 3, 3 etiam apud Ennod. ep. 6, 16 (p. 223, 15, ed. Vogel) et Cassiodorum var. VI 15, 2; 18, 1. „Urbem sacram", quam dictionem in inscriptionibus[2]) et in Cod. Theod.[3]) saepe occurrere Moorius l. c. p. 53 ostendit[4]), invenimus praeterea apud Paneg. Lat. XII 1, 1; auct. cosmogr. 25 (geogr. lat. min. p. 83 Riese, 1878); Cassiodor. var. II 2, 5 et act. synh. Rom. 6, 24 (10); similiter etiam Themistius or. XIII 178b: ἡ παναγὴς καὶ ἱερὰ πολιτεία, Nonnus Dionys. XXXXI 390 Ῥώμη μὲν ζαθέη. Conferre licet denique Codicem Theod., ubi Roma „urbs venerabilis" nominatur his locis[5]): XIV 3, 17; 6, 4; 10, 2; 11, 1; 15, 4; XV 7, 5; 10, 2. **Roma sacra**

Sed haec de Romanorum erga deos pietate. Aliarum virtutum, propter quas Romani a scriptoribus poetisque laudati sunt, saepissime occurrunt pietas erga homines, fides, probitas, iustitia. **Probitas, fides, iustitia**

Atque pietatem Romanorum praedicant: Vergil. Aen. XII 838:

„hinc genus Ausonio mixtum quod sanguine surget,
supra homines, supra ire deos pietate videbis,
nec gens ulla tuos aeque celebrabit honores",

(Plinius VII 121: Pietatis exempla infinita quidem toto orbe extitere, sed Romae unum, cui comparari cuncta non possint"),

---

1) cf. Wissowa: Religon u. Kultus der Römer², p. 339.

2) C. I. L. VI 1245, 1225; 1646; XIV 2852; 2078; IX 4796; 5860; V 7643; 7783.

3) Cod. Theod. XIV 10, 3; 15, 2; 3.

4) Cognomen urbis sacrae Romae datum est, quod erat sedes principis; cf. E. Kornemann: „Die römische Kaiserzeit" (Gercke—Norden, Einltg. III 1912, p. 276).

5) Quos citat Moorius l. c., p. 54.

Quintilian. decl. IIIb 4: „agat ergo Romana pietas“, Cicero de cons. suo 68:

„rite etiam vestri, quorum pietasque fidesque
praestitit ac longe vicit sapientia cunctos“,

qui scriptor etiam fidem celebrat similiter atque Silius Ital. XVI 155:

„Si pulchra tibi Mavorte videtur,
pulchrior est gens nostra fide“,

idem I 634:

„Sacrata gens clara fide“,

Livius V 27, 13: „vos fidem in bello quam praesentem victoriam maluistis,“ qui historicus aliis quoque nonnullis librorum locis „fidem Romanam“ laudat (cf. V 27, 11; VI 33, 8; XLII 45, 4), Valerius Maxim. VI 1 (p. 302, 20, Kempe): „Fides publica: quam semper in nostra civitate viguisse . . . omnes gentes senserunt.“

Probitatem et veritatem Romanorum celebrant: Florus de qualitate vitae (P. L. M. IV, 417 p. 347):

„Sperue mores transmarinos, mille habent offucia.
Cive Romano per orbem nemo vivit rectius:
Quippe malim unum Catonem quam trecentos Socratas“,

Sallust. hist. I frg. 55 (p. 23 Maurenbrecher) „Clementia et probitas vestra, Quirites, quibus per ceteras gentes maximi et clari estis“, Quintilian. decl. IIIb 7: „non est enim qui Romanum supplantet iudicium, qui distorqueat aequitatem, inmo qui veritatem prostituat“, qui rhetor his verbis etiam iustitiae laudem significat, quam praeter Valerium Maximum VI 5 (p. 276, 17. K.): „Iustitia: eius autem praecipuum et certissimum inter omnes gentes nostra civitas exemplum est“ (cf. Menand. III 385, 11: *τὴν πόλιν ὅρον εἶναι δικαιοσύνης*), Aristides accurate exhibet in encomio Romae § 39. Hic enim orator secundum rhetorum praecepta, quae tradit Cicero de orat. II 345: „Erit explicandum in laude iustitiae, quid cum fide, quid cum aequabilitate ... is, qui laudabitur, fecerit“ Romanorum iustitiam praedicat: *κἀνταῦθα δὴ πολλὴ καὶ εὐσχήμων ἰσότης μικροῦ πρὸς μέγαν καὶ ἀδόξου πρὸς ἔνδοξον καὶ πένητος δὴ πρὸς πλούσιον καὶ γενναῖον . . . οὗτος ὁ δικαστής τε καὶ ἡγεμών . . .*

οὐ δή που πλουσίῳ μὲν μᾶλλον, πένητι δὲ ἧττον χαριζόμενόν τε καὶ παραπέμπον, ἀλλ' ὅτῳ γένοιτο ἀεί, τούτου ὁμοίως ὠφελοῦν. Similibus autem verbis eandem iustitiam Menander docet praedicandam esse (III 379, 21): *οὐ προκριθήσεται πλούσιος, οὐ χαμαὶ πεσεῖται λόγος τοῦ πένητος δίκαιος, πεπαύσθωσαν ἡμῖν οἱ πλούσιοι ταῖς περιουσίαις κομπούμενοι, πεπαύσθωσαν οἱ πένητες ὀδυρόμενοι.*

Omnium vero virtutum scriptoribus poetisque laude dignissima fuit bellica virtus. Quam in laudationibus proferendam esse adnotant Hermogen. p. 16, 11: *(ἐρεῖς) οἷον στρατιωτικὸν βίον ἑλόμενος τί ἐν τούτῳ κατέπραξε,* et similiter Priscianus 21 (p. 556, 22). Atque Romanorum quoque disciplina militaris et fortitudo saepe in laudibus positae sunt. Disciplinae autem militaris afferimus has laudationes Valer. Maxim. II 7 (p. 82, 6, K.): „disciplina militaris: Venio nunc ad praecipuum decus et ad stabilimentum Romani imperii, salutari perseverantia ad hoc tempus sincerum et incolume servatum, militaris disciplinae tenacissimum vinculum,“ ibidem II 8 (p. 93, 4, K.): „Disciplina militaris acriter retenta principatum Italiae Romano imperio peperit.... totius terrarum orbis fecit columen.“ Quemadmodum Valerius ita Quintilianus quoque personatus disciplinam militarem causam magnitudinis imperii esse censet; quod his probare studet sententiis (decl. mai. III 14): „nam si vere aestimemus, imperium populi Romani ad hanc diem militari disciplina stetit. non enim nobis aut multitudo maior est quam ceteris gentibus, aut vehementiora corpora[1]) quam vel his ecce Cimbris, aut maiores opes quam locupletissimis regnis aut mortis contemptus facilior quam plerisque barbaris causam vitae non habentibus. principes nos facit severitas institutorum, ordo militiae, amor quidem laboris, et

Virtus bellica

---

[1]) Eandem sententiam Rutilium expressisse invenimus lib. I 87:

„Nec tibi nascenti plures animaeque manusque
sed plus consilii iudiciique fuit.
Iustis bellorum causis nec pace superba
nobilis ad summas gloria venit opes.“

(Romam semper iusta bella gessisse item Livius praedicat XXX 16, 9: „populum Romanum et suscipere iuste bella et finire.“)

cotidiana exercitatione assidua belli meditatio. itaque plura paene moribus quam viribus vicimus[1]), cum captivae quoque sancte habebantur, et contumelia etiam hosti aberat."

Virtute vero bellica, non divitiis Romanos magnos esse factos Ammianus Marcell. XIV 6, 10 laudat: „ignorantes... maiores suos per quos ita magnitudo Romana porrigitur, non divitiis eluxisse, sed per bella saevissima, nec opibus nec victu nec indumentorum vilitate gregariis militibus discrepantes, opposita cuncta superasse virtute[2])." Similiter Melinno fortitudinem militum Romanorum causam potentiae esse his versibus canit:

17. *ἦ γὰρ ἐκ πάντων σὺ μόνα κρατίστους*
ἄνδρας αἰχματὰς μεγάλους λοχεύεις,
εὔσταχυν Δάματρος ὅπως ἀνεῖσα
καρπὸν ἀπ' ἀνδρῶν,

addimus denique Sulpiciam 20:

„duo sunt quibus extulit ingens
Roma caput: virtus belli et sapientia pacis."

Accuratius autem rei militaris Romanorum laudes tractantur a Iosepho et Aristide. Quorum uterque idem, quod Quintilianum personatum l. c. his verbis „cotidiana exercitatione assidua belli meditatio" protulisse vidimus, praedicat. Dicit enim Iosephus bell. Iud. III 72: *οὐ γὰρ αὐτοῖς ἀρχὴ τῶν ὅπλων πόλεμος, οὐδ' ἐπὶ μόνας τὰς χρείας τὼ χεῖρε κινοῦσιν ἐν εἰρήνῃ προηργηκότές, ἀλλ' ὥσπερ συμπεφυκότες τοῖς ὅπλοις οὐδέποτε τῆς ἀσκήσεως λαμβάνουσιν ἐκεχειρίαν οὐδὲ ἀναμένουσιν τοὺς καιρούς.* 73. *αἱ μελέται δ' αὐτοῖς οὐδὲν τῆς κατὰ ἀλήθειαν εὐτονίας ἀποδέουσιν, ἀλλ' ἕκαστος δσημέραι στρατιώτης πάσῃ προθυμίᾳ καθάπερ ἐν πολέμῳ γυμνάζεται.* Ab eodem

---

[1]) Apud Florum I 13, 23 similem victoriae causam legimus: „quis ergo miretur eis moribus, ea virtute militum victorem populum Romanum fuisse?"

[2]) Conferas quoque hanc sententiam Augustini civ. dei V 12 (p. 215, 15. Dombart): „Nolite existimare maiores nostros armis rem publicam ex parva magnam fecisse ... alia fuere quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque libidini obnoxius."

loco exercitum Romanum laudat Aristides XXVI 87: *οὐ γὰρ πρὸς τοὺς πολεμίους ἀσκεῖν μόνον προὔθεσθε αὐτὰ τοῖς στρατιώταις τε καὶ ἡγεμόσιν, ἀλλὰ πρὸς αὐτοὺς πρῶτον· ὥστε καθ' ἡμέραν ἑκάστην ἐν τάξει ζῆν καὶ μήποτε λιπεῖν μηδένα τὴν προστεταγμένην αὐτῷ.*

Talem exercitum semper ad depugnandum paratum esse dicunt Iosephus III 106: *ὅθεν δρᾶσαι μὲν ἀεὶ ταχεῖς* et Aristides § 77: *ἀσκοῦνται, ὅπως εὐθὺς ἑστῶτες ὑπερέχοιεν.*

Aliis quoque nonnullis harum de re militari Romanorum laudum locis consensum quendam statuere possumus, qui fortasse communi ex schola declamatoria origini debetur. Celebrant enim milites:

Iosephus § 74:	Aristides § 84:
οὔτε γὰρ ἀταξία διασκίδνησιν αὐτοὺς ἀπὸ τῆς ἐν ἔθει συντάξεως (et 104 *ἐπὶ παρατάξεως ἓν σῶμα τὴν ὅλην στρατιάν)*	*ἡρμοσμένοι πρὸς ἀλλήλους*
74. *οὔτε δέος ἐξίστησιν (αὐτοὺς) οὔτε δαπανᾷ πόνος·* (cf. Liv. IX 19, 9: quis par Romano miles, quis ad tolerandum laborem melior?) *ἕπεται δὲ τὸ κρατεῖν ἀεὶ κατὰ τῶν οὐχ ὁμοίων βέβαιον* [1])	*φυγὴν οὐ νομίζοντες*
106. *οὐδ' ἔστιν ὅπου σταθέντες ἢ πλήθους ἡσσήθησαν ἢ στρατηγημάτων ἢ δυσχωρίας*	(Liv. I 16, 7: nullas opes humanas armis Romanis resistere posse)

Similiter denique uterque scriptor huius encomii finem facit:

Iosephus 107:	Aristides 89:
οἷς οὖν βουλὴ μὲν ἄρχει παρατάξεως, ἕπεται δὲ τοῖς βεβουλευμένοις στρατὸς οὕτω δραστήριος, τί θαυμαστὸν εἰ... totum orbem subegerunt.	*ὅταν γὰρ ἄρχῃ μὲν εἷς τοσούτων ... πάντα δ' ἄνευ θορύβου καὶ ταραχῆς ... δίκης δὲ*

[1]) Magis etiam hae Iosephi sententiae ipsa compositione et repetitione verborum artem scholasticam redolent (bell. Iud. III 75):
καὶ οὐκ ἂν ἁμάρτοι τις εἰπὼν τὰς μὲν ⌄*μελέτας αὐτῶν χωρὶς αἵματος παρατάξεις,* a. b. c.
τὰς παρατάξεις δὲ μεθ' αἵματος μελέτας. c. b. a.

Iosephus 107:	Aristides 89:
	καὶ αἰδοῦς πάντα πανταχοῦ μεστά, ... πῶς οὐχὶ νικᾷ[1]) τόδε τὸ ἔπος;

Romani semper invicti

Romanos propter hunc exercitum, qui et fortitudine et disciplina omnibus excellat, semper invictos esse alii quoque scriptores dicunt, ut Livius IX 17, 3: „Plurimum in bello pollere videntur militum copia et virtus, ingenia imperatorum, fortuna per omnia humana, maxime in re bellica potens: ea et singula intuenti et universa, sicut ab aliis regibus gentibusque, ita ab hoc quoque facile praestant invictum Romanum imperium", similiter deinde Polyaen. I 1: *παρὰ τῆς ὑμετέρας ἀρετῆς καὶ παρὰ τῆς Ῥωμαίων ἀνδρείας, μεθ' ὧν ἀεὶ ... εἰώθατε νικᾶν τοὺς ὑπάρχοντας πολέμους καὶ μάχας*, Lucil. 613 (Marx):

„ut Romanus populus victus vi et superatus proeliis
saepe est multis, bello vero numquam, in quo sunt omnia",

auct. carm.. Anth. Pal. IX 647:

Ῥώμη παμβασίλεια, τὸ σόν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται·
Νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.

Senec. epigr. 72, 5: „invicta ... Roma", Lucan. III 334: „invicta ... urbs", Iosephus bell. Iud. II 362: *ἡ δὲ ἐκείνων* (sc. *τῶν Ῥωμαίων*) *ἰσχὺς διὰ τῆς οἰκουμένης ἀνίκητος*, Tacitus A. II 25: „quippe invictos et nullis casibus superabiles Romanos praedicabant", qui scriptor his verbis aliam quoque rem, qua Romani laudem sibi pepererunt, tangit.

Permulti enim auctores Romanos admirantur, quod in rebus adversis numquam animo defecerint. Quod argumentum etiam in

---

[1]) Simili interrogatione rhetorica Menander laudes regis breviter complectitur (III 380, 3): *ὅς γὰρ ἀγνοεῖ τῶν προσηκόντων οὐδέν, περὶ πάντων δὲ ἀκριβῶς ἐπισκέπτεται, πῶς οὐ δῆλός ἐστιν ὁμολογουμένως μέλλων ἄρχειν ἐπ' ἀγαθῷ;*

scholae declamationibus epidicticis saepe prolatum esse elucet ex his, quae exstant, rhetorum praeceptis Theonis II 111, 22: λεκτέον, ὅτι ἀτυχῶν ταπεινὸς οὐκ ἦν, II 112, 1: μάλιστα γὰρ ἐν τοῖς ἀτυχήμασι ἐκλάμπει ἡ ἀρετή. Et hanc laudem in urbium quoque encomiis adhibendam esse docet Menander III 364, 22: χρὴ τοίνυν ἧτταν μὲν ἐρρωμένως ... ἀποφαίνειν ἐνηνοχυῖαν τὴν πόλιν.

Atque cum his scholae declamatoriae legibus hi laudatores Romae concordant: Livius XXII 37, 3: „probe sciat magnitudinem populi Romani admirabiliorem prope adversis rebus quam secundis esse“, Florus I 18, 22: „(Romana virtus), cuius fere magnitudo calamitatibus adprobatur“, II 6, 13: „sed magna populi Romani fortuna et semper in malis maior“; idem auctor clade Cannensi narrata exclamat (I 22, 31): „o horribilem in tot adversis fiduciam! immo singularem animum ac spiritum populi Romani!“ (cf. Iordanem Rom. 195). Silius Italicus vero Romanorum magnanimitatem in cladibus et periculis, quae ad tantum imperium condendum subeunda fuerint, eminentem cantat his versibus (III 582):

„Magnae molis opus multoque labore parandum,
tot populos inter soli sibi poscere regna.
Iamque tibi veniet tempus, quo maxima rerum
nobilior sit Roma malis.“

Quos labores vel difficultates, quibus ad res aliquas perficiendas opus fuerit, ipsas quoque in encomiis efferri vult Theon II 113, 7: μετὰ ταῦτα τὰς πράξεις συγκρινοῦμεν προκρίνοντες ... (14) ἃς μετὰ πόνου ἐπράξαμεν μᾶλλον ἢ ῥαδίως (similiter idem II 110, 24). Quod scholae praeceptum secuti alii quoque difficultates urbis et imperii condendi significant; ex quibus afferimus Vergil. Aen. I 33:

„tantae molis erat Romanam condere gentem“,

Ovid. met. XV 431:

„Nunc quoque Dardaniam fama est consurgere Romam,
Appeninigenae, quae proxima Thybridis undis
mole sub ingenti rerum fundamina ponit.“

Liv. VII 29, 2: „Quanta rerum moles! quoties in extrema peri-

culorum ventum, ut in hanc magnitudinem, quae vix sustinetur, erigi imperium posset!" Flor. I 18, 2: „adeo difficile fuerat dare Italiae caput."

Omnium autem cladium, quibus Romanorum animus invictus virtusque stabilis elucere poterat, maximae erant eae, quae bello Senonum, Pyrrhi, Hannibalis acceptae erant. Qui gravissimi Romanorum hostes cum in scholae declamationibus persaepe occurrerint[1]), ad laudes quoque Romanorum nonnumquam usurpantur ab eis scriptoribus[2]), qui Romanos nullis casibus vinci posse praedicant, vel ab auctoribus recentioribus, qui „cum plerumque videantur respondere futura praeteritis" (Quintil. inst. or. III 8, 66), haec bella, quibus periculosissimi hostes superati sint, commemorantes aequalibus suis et civibus urbis delabentis animos addere student[3]).

---

[1]) Hannibalis gesta in rhetorum exercitationibus saepe decantata fuisse apparet ex his versibus Iuvenalis c. 7, 160:

„cuius mihi sexta
quaque die miserum dirus caput Hannibal implet,
quidquid id est, de quo deliberat, an petat urbem
a Cannis, an post nimbos et fulmina cautus
circumagat madidas a tempestate cohortes."

[2]) Commemorant haec Romanorum pericula Vergil. Aen. VIII 655; Horat. c. III 6, 35 sq.; Propert. III 3, 41; Manilius I 785 sqq.; IV 37 sq.; Statius silv. I 4, 87.

[3]) Conferas quaeso Symmach. ep. X 3, 9; Claudian. Gild. 83; 125 sq.; Eutrop. I 463; b. Goth. 125; 386; Stilich. III 144; Hieronym. epist. 123, 16; Rutil. I 125 sq.; Prudent. in Symm. II 556 sqq.; 686; Sidon. Apoll. c. 5, 80 sqq.; 7, 127 sqq.

Eadem saepe de causa in talibus enumerationibus factorum a maioribus bene gestorum etiam Scipiones vel alii viri de re publica bene meriti (Decii, Horatius Cocles, Mucius Scaevola, similes) afferuntur; nam „magnus verecundiae stimulus est laus parentum, dum illis non patiuntur esse impares quos gaudemus" (Cassiod. var. IX 22, 3); simile praeceptum exstat in excerptis rhet. (p. 587, 27): „Laudamus etiam illud, si ea civitas habuerit plurimos nobiles viros, quorum gloria lucem praebeat universis" (cf. Cic. de orat. II, 82, 335) et apud Quintilianum inst. or. III 7, 10: „maiores ... humilius genus inlustrasse factis" (cf. Hieronym. ep. 60, 8, 1). Tales autem laudes Scipionum, Deciorum, Reguli, Camilli, Marcelli, Catonis aliorum originem declamatoriam habere elucet ex his, quae citat Peterus l. c. I 29, verbis Ciceronis de off. I 18, 61: „in laudibus, quae magno animo et fortiter excellenterque gesta sunt.. hinc rhetorum campus ... Cocles, .. Decii .. Cn. et P. Scipiones .. Marcellus, innumerabiles alii" (cf. etiam Senec. contr. X 2, 3; IX 2, 9; epist.

Ex quibus urbis periculis a laudatoribus Romanorum saepissime clades Cannensis celebratur; qua quamquam in summum discrimen urbs deducta fuerit, Romanos animo non defecisse sed etiam fortiores factos esse praedicatur secundum rhetorum legem, quam tradit Cicero de orat. II 346: „Magna etiam illa laus et admirabilis videri solet tulisse casus sapienter adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem", a Cicerone ipso (de off. III 10, 47): „Plena exemplorum est nostra res publica cum saepe, tum maxime bello Punico secundo; quae Cannensi calamitate accepta maiores animos habuit quam unquam rebus secundis; nulla timoris significatio, nulla mentio pacis", et a Livio XXVI 41, 11: „Trebia, Trasimenus, Cannae . . . defectionem Italiae . . . visum prope in portis victorem Hannibalem — in hac ruina rerum stetit una integra atque immobilis virtus populi Romam"; ab eodem in rhetorica regni Alexandri et imperii Romani comparatione (cf. infra p. 100) Romani laudantur (IX 19, 9): „Uno proelio victus Alexander bello victus esset: Romanum, quem Caudium, quem Cannae non fregerunt, quae fregisset acies?" et similiter (XXV 38, 10): „cuius populi vis atque virtus non obruta sit

III 3 (24), 5 sq.). Singuli autem horum virorum exempla fortitudinis, amoris patriae, fidei positi sunt (conferas quaeso libros Valerii Maximi). — Cum totam hanc quaestionem tractaverit Peterus l. c. I 15, 29 sq., 48, 70 sqq. (vide quoque Ottonem: Sprichwörter der Römer 311, 485, 625 et Nordenum ad Verg. Aen. VI p. 306: „zur Heldenschau"), hic satis sit, cum tantum paucas talium enumerationum viri illi docti attulerint, omnes eos locos componere, quibus praeclaros illos veteres Romanos enarratos esse invenimus: Vergil. G. II 167 sqq., A. VI 809—46; VIII 626—70; Cul. 359—71; Propert. III 3, 7—12; IV 1, 45; Horat. c. I 12, 33—46; III 6, 33—36; IV 4, 37 sq.; Sil. Ital. III 586 sq.; XIII 853—64; Manil. I 777—804; IV 30 sq.; 86 sq.: Stat. S. I 4, 86 sq.; V 2, 53 sq.; Claudian. b. Gild. 76—95; 123—26; Eutrop. I 435—65; IV Hon. cos. 399—418; Manl. Theod. 163 sq.; Stilich. I 380—84; II 378—90; III 30—36; 140—49; b. Goth. 124—153; 384—99; Rutil. I 125—28; Sidon. Apoll. c. 2, 526—36; 5, 66—87; 7, 51—122; 127—131; Prudent. in Symm. II 557—61; 686 sq.; Cicer. Parad. 1, 11—12; Valer. Max. III 2; IV 1; 4; V 6; Senec. dial. I 3, 4; epist. XVI 3, 12; VII 5, 7; Paneg. Lat. I 13, 4; II 9, 5; X 14, 2; Ammian. Marc. XXIII 5, 19; Fulgent. de aetat. mund. et. hom. 42; Hieronym. ep. 60, 5, 3; Augustin. de civ. dei II 29; V 14; Cassiod. var. VIII 22, 3; IX 22, 3; or. rel. p. 467.

Cannensi clade, ex omni profecto saevitia fortunae emersurum esse."

Post hanc cladem Cannensem Romanos etiam maiores resurrexisse porro laudibus efferunt Dionysius Hal. II 17, 3: *ἡ δὲ Ῥωμαίων πόλις ... Καρχηδόνος ἐπὶ τὴν ἡγεμονίαν πάλιν ἀνισταμένης καὶ τῆς Ἰταλίας οὐ μόνον ἀφεστώσης ὀλίγου δεῖν πάσης ... τοσούτοις περιπετὴς γενομένη κινδύνοις κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον οὐχ ὅπως ἐκακώθη διὰ τὰς τότε τύχας, ἀλλὰ καὶ προσέλαβεν ἰσχὺν ἐξ αὐτῶν ἔτι μείζονα τῆς προτέρας*, et hi poetae: Claudian. Stilich. III 144:

„Numquam succubuit damnis et territa nullo
vulnere post Cannas maior Trebiamque fremebat."

Rutilius I 121:

„Adversis solemne tuis sperare secunda:
exemplo caeli ditia damna subis.
125: Victoris Brenni non distulit Allia poenam;
Samnis servitio foedera saeva luit;
post multas Pyrrhum clades superata fugasti;
flevit successus Hannibal ipse suos.
Quae mergi nequeunt, nisu maiore resurgunt
exiliuntque imis altius acta vadis.
Utque novas vires fax inclinata resumit,
clarior ex humili sorte superna petis.
139. Illud te reparat, quod cetera regna resolvit:
ordo renascendi est crescere posse malis."

In universum vero eandem Romanorum laudationem exemplo belli Hannibalis non allato exhibent hi poetae: Horatius c. IV 4, 59:

„per damna, per caedes ab ipso
ducit opes aninumque ferro."
65. „merses profundo: pulchrior evenit."

Ovidius f. I 523:

„victa tamen vinces eversaque, Troia, resurges."

similiter Silius It. V 674:

„Et vereor, ne, quae tanta creat indole tellus

magnanimos fecunda viros, huic fata dicarint
imperium, atque ipsis devincat cladibus orbem."

Eandem denique sententiam exprimit qui Rutilium secutus est auctorem Sidonius Apoll. c. 5, 63:

„tua nempe putantur,
surgere fata malis et celsior esse ruina",

idem 7, 5:

„sidera sunt isti. quae sicut mersa nitescunt,
adversis sic Roma micat, cui fixus ab ortu
ordo fuit crevisse malis[1])."

Romanos ut rebus adversis animum non dimiserint, ita rebus secundis non superbiam et spiritum sumpsisse dicunt hi scriptores: Livius XXXVII 45, 12: „animos, qui nostrae mentis sunt, eosdem in omni fortuna gessimus gerimusque, neque eos secundae res extulerunt nec adversae minuerunt", Appian. prooem. 11: *οὔτε ταῖς εὐπραγίαις ἐπαιρόμενοι μέχρι βεβαίως ἐκράτησαν, οὔτε συστελλόμενοι ταῖς συμφοραῖς,* Livius XXX 42, 16: „Populum Romanum eo invictum esse, quod in secundis rebus sapere et consulere meminerit[2]) ..." Quo loco Livius similem potentiae Romanorum causam profert atque Rutilius vel Sulpicia versibus supra (p. 87 sq.) citatis.

Hanc autem Romae virtutum laudem etiam amplificare student Iosephus et Dionysius Hal., cum Romanos illis solis, non fortunae magnitudinem imperii debere praedicant; scribunt enim Iosephus bell. Iud. III 71: *εἰ δέ τις αὐτῶν καὶ εἰς τὴν ἄλλην σύνταξιν τῆς στρατιᾶς ἀπίδοι, γνώσεται τὴν τοσήνδε ἡγεμονίαν αὐτοὺς ἀρετῆς κτῆμα*

[1]) cf. Fulgent. de aetat. mund. et hom. 43 (p. 169, 6 Helm): „Crevitque semper aut alieno damno aut suo potius detrimento", et Oros. VI, 17, 4: „Percensuit latitudinem regni sui Roma cladibus suis" (quos locos affert Rudolfus Helm, Mus. Rhen. LIV (1899) p. 116.)

[2]) Quem gloriae locum iam quarti saeculi laudatores Atheniensium adhibuerunt: Ps. Lys. II 10 *οὐχ ὑπὸ τῆς τύχης ἐπαρθέντες* (sc. *οἱ Ἀθηναῖοι*) *μείζονος παρὰ Καδμείων τιμωρίας ἐπεθύμησαν* (cf. Schroederum l. c. p. 15), simileque praeceptum offendimus apud Menandrum III 364, 23: *χρὴ ... νίκας δὲ ἀνθρωπίνως ἀποφαίνειν ἐνηνοχυῖαν τὴν πόλιν.*

ἔχοντας, οὐ δῶρον τύχης, Dionys. Hal. II 17, 3: τῷ πλήθει τοῦ στρατιωτικοῦ πρὸς ἅπαντα διαρκὴς γενομένη τὰ δεινά, ἀλλ' οὐχ ὥσπερ ὑπολαμβάνουσί τινες εὐνοίᾳ τύχης χρησαμένη.

Quaeritur, utrum virtuti au fortunae magnitudo imperii debeatur

Qui scriptores hac virtutis (vel rei militaris) et fortunae contentione quaestionem tangunt, quae in genere epidictico crebro mota est. Cum enim praeter mores virtutesque etiam fortuna urbis vel hominis laudandi in encomiis afferenda esset, quod praeceptum tradit auctor excerptorum rhet. (p. 587, 24): „(Urbium laudem) ... tertius (locus) de ... moribus incolarum: tum de his ornamentis, quae postea accesserint, aut felicitate, si res sponte ortae sint et prolatae aut virtute et armis et bello propagatae" (similiter etiam Cicero de orat. II 347: „etiam felicitatem ipsam deorum immortalium iudicio tribui laudationis est" et Menander III 420, 27: θήσεις δὲ μετὰ τὰς πράξεις καὶ τὸν ἀπὸ τῆς τύχης τόπον, λέγων ὅτι παρωμάρτησεν αὐτῷ καὶ δεξιά τις τύχη), saepe a laudatoribus quaestio ponebatur, utrum vir laudandus virtuti an fortunae plus deberet. Ab hoc loco iam Isocrates Athenienses celebrat Paneg. (or. IV. 91): δι' ἀρετὴν ἀλλ' οὐ διὰ τύχην ἐνίκησαν. In encomiis autem Alexandri Magni haec quaestio multum videtur valuisse, id quod demonstratur Plutarchi duabus orationibus, quae inscriptae sunt: περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου τύχης ἢ ἀρετῆς (Plut. 326 E—345 B), et his verbis Curtii Rufi, quibus Alexander laudatur (X 5, 35): „Fatendum est tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunae, quam solus omnium mortalium in potestate habuit." Sed cum persaepe ex his Alexandri encomiis Romanorum panegyrici pendeant, id quod infra (p. 113) ostendemus, non miramur, quod Romani quoque nonnumquam ab hac quaestione praedicati sunt[1]).

Uberrime autem de hoc ἀπὸ τύχης τόπῳ disserit Plutarchus in oratione περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης inscripta (316 C—326 C), ubi Virtutem et Fortunam inter se certare dicit utra Romanis imperium

---

[1]) Hoc iam Donatus ad Verg. Aen. VI 781 adnotat: „omni genere laudata est (Roma), positione loci, potentia, virtute et felicitate sobolis suae."

dederit (316 C), quam quaestionem ipse diiudicat his laudationis verbis (316 E): Ἐγὼ δέ, ὅτι μέν, εἰ καὶ πάνυ πρὸς ἀλλήλας ἀεὶ πολεμοῦσι καὶ διαφέρονται Τύχη καὶ Ἀρετή, πρός γε τηλικαύτην σύμπηξιν ἀρχῆς καὶ δυνάμεως εἰκός ἐστιν αὐτὰς σπεισαμένας συνελθεῖν καὶ συνελθούσας ἐπιτελειῶσαι καὶ συναπεργάσασθαι τῶν ἀνθρωπίνων ἔργων τὸ κάλλιστον, ὀρθῶς ὑπονοεῖν οἴομαι[1]). Virtutem et Fortunam ad Romam condendam et imperium constituendum convenisse eisdem fere verbis exprimit Ammianus Marcell. XIV 6, 3: „Tempore quo primis auspiciis in mundanum fulgorem surgeret victura dum erunt homines Roma, ut augeretur sublimibus incrementis, foedere pacis aeternae Virtus convenit atque Fortuna, plerumque dissidentes[2]), quarum si altera defuisset, ad perfectam non venerat summitatem", neque longe differt Florus I 1, 2: „(Populus Romanus) tot in laboribus periculisque iactatus est, ut ad constituendum eius imperium contendisse Virtus et Fortuna videantur."

Praeter mores virtutesque Romanorum etiam fortuna propitia potentiam urbis auctam esse ne Cicero quidem negat (rep. II 16, 30): „intelleges non fortuito populum Romanum sed consilio ac disciplina confirmatum esse, nec tamen adversante fortuna." Maiorem etiam vim Livius fortunae Romanorum tribuit, cum Camillum dicentem facit (V 54, 6): „Quod cum ita sit, quae, malum, ratio est expertis ea alia experiri, cum, iam ut virtus vestra transire

---

[1]) Plutarchus in hac oratione demonstrat Romanos a Fortuna semper et prima urbis aetate et in bellis periculosissimis adiutos esse; fortunam autem et virtutem his quoque orationis locis componit (317 C): (Ῥώμη) .. ἕδραν ἔσχε τὰ μέγιστα καὶ ἀσφάλειαν ... πάσης μὲν ἀρετῆς ἐγγενομένης τοῖς ταῦτα μηχανησαμένοις, πολλῆς δὲ καὶ τύχης συνελθούσης; (321 B): ἡ μὲρ γὰρ Ἀρετὴ μέγαν ἐποίησε Ῥωμύλον, ἡ Τύχη δ' ἄχρι τοῦ γενέσθαι μέγαν ἐτήρησε.

Similiter etiam Manilius IV 22—49 Romanorum res gestas perlustrans omnia fato propitio, non casu caeco deberi ostendit: V. 49: „hoc nisi fata darent, numquam fortuna dedisset", quocum versu concinunt haec verba Theonis II 111, 17: ἥκιστα γὰρ ἐπαινοῦσι μὴ κατὰ προαίρεσιν ἀλλ' ἐκ τύχης ἃ ἔχουσιν ἀγαθά, ut inde quoque originem scholasticam huius contentionis concludamus.

[2]) cf. Plut. 316 C: Αἱ πολλοὺς πολλάκις ἠγωνισμέναι καὶ μεγάλους ἀγῶνας Ἀρετὴ καὶ Τύχη πρὸς ἀλλήλας .... ἀγωνίζονται ..

alio possit, fortuna certe loci huius transferri non possit?" Idem scriptor aliis quoque historiarum libris commemorat fortunam populi Romani[1]). Florus vero Fortunam imperio Romano praesidentem facit his locis: lib. II 13, 1; 30; 35; 44. Apud posteriores denique auctores nonnumquam dictiones ut „felicitas Romana" vel „Roma felix"[2]) legimus; scribunt enim: Symmachus epist. X 18: „Felicitas quidem vestra aeternae urbi solemnis", Panegyr. Lat. IV 37, 5: „Romana felicitas"; Roma felix appellatur a Statio S. III 3, 51; IV 1, 36; Cassiod. var. VI 1, 2; 18, 4; (Paulin Aquil. carm. dub. 5, 7). „imperium felix" dictum est a Floro frg. p. 184, 9 (Roßbach).

2. De imperio Romano.

Quoniam omnia ad laudes virtutum Romanorum pertinentia ad finem perducta sunt, vix a proposito abest, si posteriore huius de encomiis Romanorum partis capite nobilissimum Romanorum factum, imperium orbis terrarum tractamus. Cuius in laudibus haud minus vestigia artis rhetoricae erui posse ostendemus.

Cum autem praecepta scholastica ad laudem terrae spectantia non omnia complectantur, quae poetis scriptoribusque in imperio Romano celebranda visa sunt, ad laudationum imperii originem declamatoriam statuendam etiam leges, quas rhetores ad panegyricos regum dederunt, afferendae sunt; permultis autem locis tantummodo consensu encomiorum Alexandri Magni et similium imperii Romanorum laudum communem originem scholasticam investigare licet.

Quae cum ita sint, in hoc capite tractando non ut in priore de laudibus Romae urbis parte dispositionem a schola declamatoria praeceptam sequemur, sed secundum tres locos, a quibus imperium Romanum praecipue praedicatum est, de hac quaestione disseremus. Laudes enim magnitudinis, administrationis, emolumentorum imperii poetis et scriptoribus in deliciis sunt.

---

[1]) Conferas quaeso verba a Decio ante bellum Samnitium dicta (VII 34, 6): „Nos deinde aut fortuna populi Romani, aut nostra virtus expediet" vel XXXVIII 46, 4: „Magna fortuna populi Romani est, magnum et terribile nomen."

[2]) cf. Preller., Röm. Mythol. II³, p. 256, 5.

a) De magnitudine imperii.

Atque primum quidem de encomiis magnitudinis imperii Romani disputemus. Quod a poetis et scriptoribus nonnumquam ita celebratur, ut conferatur cum similibus imperiis Assyriorum, Medorum, Macedonum vel civitatibus Atheniensium, Lacedaemoniorum, Thebanorum. Hanc componendi rationem primus adhibuit Polybius I 2, 1: *Ὡς δ' ἔστι παράδοξον καὶ μέγα τὸ περὶ τὴν ἡμετέραν ὑπόθεσιν θεώρημα γένοιτ' ἂν οὕτως μάλιστ' ἐμφανές, εἰ τὰς ἐλλογιμωτάτας τῶν προγεγενημένων δυναστειῶν ... παραβάλοιμεν καὶ συγκρίναιμεν πρὸς τὴν Ῥωμαίων ὑπεροχήν.* (2) *εἰσὶ δ' αἱ τῆς παραβολῆς ἄξιαι καὶ συγκρίσεως αὗται. Πέρσαι κατά τινας καιροὺς μεγάλην ἀρχὴν κατεκτήσαντο ... ἀλλ' ὁσάκις ἐτόλμησαν ὑπερβῆναι τοὺς τῆς Ἀσίας ὅρους ... περὶ σφῶν ἐκινδύνευσαν.* (3) *Λακεδαιμόνιοι ... μόλις ἔτη δώδεκα κατεῖχον αὐτὴν* (sc. *τὴν τῶν Ἑλλήνων ἡγεμονίαν) ἀδήριτον.* (4) *Μακεδόνες ... πλείστων δόξαντες καὶ τόπων καὶ πραγμάτων γενέσθαι κύριοι, τὸ πολὺ μέρος ἀκμὴν ἀπέλιπον τῆς οἰκουμένης ἀλλότριον ...* (7) *Ῥωμαῖοί γε μὴν οὐ τινὰ μέρη, σχεδὸν δὲ πᾶσαν πεποιημένοι τὴν οἰκουμένην ὑπήκοον αὐτοῖς.*

Comparatio cum pristinis regnis

Quae Polybii simplex contentio pristinorum et Romani imperii in usum scholae declamatoriae translata a laudatoribus Romae amplificata atque ornata est. Ita Dionysius Halic. eundem *συγκρίσεως* locum contentione etiam Assyriorum, Medorum, Atheniensium, Thebanorum auctum exprimit his verbis (ant. I 2, 2): *ἡ μὲν γὰρ Ἀσσυρίων ἀρχὴ ... ὀλίγου τινὸς ἐκράτησε τῆς Ἀσίας μέρους. ἡ δὲ Μηδικὴ ... χρόνον οὐ πολὺν κατέσχεν ... Πέρσαι δὲ οἱ Μήδους καταγωνισάμενοι τῆς μὲν Ἀσίας ὀλίγου δεῖν πάσης τελευτῶντες ἐκράτησαν ... ἡ δὲ Μακεδονικὴ δυναστεία ... μεγέθει μὲν ἀρχῆς ἁπάσας ὑπερεβάλετο τὰς πρὸ αὐτῆς ...* (3) *... τὰς Ἑλληνικὰς δυνάμεις οὐκ ἄξιον αὐταῖς ἀντιπαρεξετάζειν οὔτε μέγεθος ἀρχῆς οὔτε χρόνον ἐπιφανείας τοσοῦτον ὅσον ἐκεῖναι λαβούσας. Ἀθηναῖοι ... Λακεδαιμόνιοι ... (Θηβαῖοι) οὐδὲ ὅλα τριάκοντα ἔτη τὴν ἀρχὴν κατασχόντες. ἡ δὲ Ῥωμαίων πόλις ἁπάσης μὲν ἄρχει γῆς ...*[1])

---

[1]) Idem scriptor aliis quoque antiquitatum locis Romanos cum pristinis imperiis comparat, atque cum gentibus Graecorum (II 17, 1): *Τὰ δὲ Ἑλλήνων*

Sic etiam recentiores historici et poetae saepe hanc comparationem adhibent, cum laudi imperii Romani aptissima et a rhetoribus commendata sit. Exstant enim similia praecepta apud auctorem excerptorum rhet. (p. 587, 28): „Solemus et a finitimis civitatibus laudem mutuari... In his quoque faciemus breviter comparationem", et apud Menandrum III 417, 5: *Ἥξεις μετὰ τὰς ἀρετὰς ἐπὶ σύγκρισιν... πολλάκις τὸ συγκρίνειν... ὅταν (συγκρίνωμεν) ἀρχὴν ὅλην πρὸς ὅλην ἀρχήν... οἷον πολλοὶ πολλάκις γεγόνασιν ἄρχοντες καλοὶ κἀγαθοί, οἱ μὲν ἐπὶ τῆς Ἀσίας, οἱ δὲ ἐπὶ τῆς Εὐρώπης, ἐπαινετοὶ μὲν κἀκεῖνοι ... ἀλλὰ σοῦ βελτίων οὐδείς· ὑπερβέβηκας γὰρ ἀθρόως ἅπαντας*, ibidem 376, 31: *ἥξεις δὲ ἐπὶ τὴν τελειοτάτην σύγκρισιν, ἀντεξετάζων τὴν αὐτοῦ βασιλείαν πρὸς τὰς πρὸ αὐτοῦ βασιλείας, οὐ καθαιρῶν ἐκείνας — ἄτεχνον γὰρ — ἀλλὰ θαυμάζων μὲν ἐκείνας, τὸ δὲ τέλειον ἀποδιδοὺς τῇ παρούσῃ*... 6. *αὗται (αἱ συγκρίσεις) περὶ ὅλης ἔσονται τῆς ὑποθέσεως, ὡσανεὶ βασιλείαν ὅλην ἀθρόως καὶ ἐν κεφαλαίῳ πρὸς ὅλην βασιλείαν συγκρίνομεν, οἷον τὴν Ἀλεξάνδρου πρὸς τὴν παροῦσαν*[1]).

Quae rhetorum praecepta secutus praeter Dionysium etiam Appianus[2]) comparando gloriam imperii Romani auget (prooem. 8):

ἔθη... οὐκ ἔχω πῶς ἐπαινέσω τά τε Λακεδαιμονίων καὶ τὰ τῶν Θηβαίων καὶ τῶν... Ἀθηναίων, οἳ ... τὴν πόλιν ἠδυνήθησαν ἐκ τῆς συμφορᾶς... ἀναλαβεῖν... ἡ δὲ Ῥωμαίων πόλις (omnes difficultates superavit), cum regno Macedonum lib. I 3, 5; cf. Menandrum III 377, 8.

[1]) Haec imperii Alexandri et Romanorum contentio artis rhetoricae legibus videtur respondisse (cf. Dionys I 3, 5). Nam etiam Livius maiore excursu (lib. IX 17—19) quaestionem tractans „quinam eventus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit" (IX 17, 2), diligentem Alexandri et Romanorum comparationem praebet, et Romanos militum copiis, imperatorum ingeniis, belli fortuna Alexandro superiorem esse argumentis rhetoricis comprobare studet. Similiter in Iuliani convivio (320 C—325 C) et in Mamertini in Maximianum encomio (Paneg. Lat. X 10, 3) laudes factorum Caesaris amplificantur, cum opponuntur rebus ab Alexandro gestis.

[2]) Nonnulla ad hanc quaestionem pertinentia collegit: G. Kaibel, Dionysios von Halikarnaß und die Sophistik, Herm. XX 1885, p. 497 sq., ubi Dionysium hanc comparationem Polybio debere — id quod facile concedimus —, Appianum autem et Aristidem ex fonte Dionysiaco hausisse contenditur. At

ἀρχή τε οὐδεμία προῆλθέ πω μέχρι νῦν ἐς τοσοῦτο μεγέθους καὶ χρόνου. οὔτε γὰρ τὰ Ἑλλήνων... 9. Ἀσσυρίων τε αὖ καὶ Μήδων καὶ Περσῶν, τριῶν τῶνδε μεγίστων ἡγεμονιῶν ἐς Ἀλέξανδρον τὸν Φιλίππου, συντιθεμένων οὔτ' ἂν ὁ χρόνος ἐφίκοιτο τῶν ἐνακοσίων ἐτῶν, ὅσα ἐστὶ Ῥωμαίοις ἐς τὸν παρόντα χρόνον, τό τε μέγεθος τῆς ἀρχῆς τῆς ἐκείνων οὐδὲ ἐς ἥμισυ νομίζω τῆσδε τῆς ἡγεμονίας ἀπαντᾶν... 10. τὰ δὲ δὴ Μακεδόνων... ἐπὶ... Ἀλεξάνδρου μεγέθει τε καὶ πλήθει καὶ εὐτυχίᾳ καὶ ταχυεργίᾳ διαλάμψασα ἡ ἀρχή, καὶ ὀλίγου δεῖν ἐς ἄπειρον καὶ ἀμίμητον ἐλθοῦσα, διὰ τὴν βραχύτητα τοῦ χρόνου προσέοικεν ἀστραπῇ λαμπρᾷ.

Omnium autem uberrime pristina regna et imperium Romanum inter se comparat Aristides. Qui rhetor regnum Persarum (or. XXVI 15—23) imperiumque Alexandri (24—27) opponit imperio Romanorum, de quo dicit (28): *ἐκφεύγει δὲ ὑμᾶς οὐδέν, οὐ πόλις, οὐκ ἔθνος*, et (40—47) civitates Graecorum Atheniensium, Lacedaemoniorum, Thebanorum confert cum imperio Romano (cf. 40: *οὐχ ὡς ἴσα ἴσοις παραβάλλων δίειμι, ἀλλ' οὐκ ὄντων ἑτέρων παραδειγμάτων ἀναγκάζομαι τοῖς οὖσι χρῆσθαι... οὐκ ἔστιν εὑρεῖν ἴσα τοῖς ὑμετέροις ἕτερα οὐδ' ἐγγύς, ἀλλὰ πάντα ὑπὸ τούτων ἀποκρύπτεται)*, et breviter redit ad hanc contentionem (91): *οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι οἱ πρὸ ὑμῶν δυναστεύσαντες δεσπόται καὶ δοῦλοι ἀλλήλων ἐν τῷ μέρει γιγνόμενοι καὶ νόθοι τῆς ἀρχῆς ὄντες οὕτω διεξῆλθον, ὥσπερ ἐν σφαίρᾳ τὴν τάξιν μεταλαμβάνοντες, καὶ ἐδούλευσαν Μακεδόνες Πέρσαις, Πέρσαι Μήδοις, Μῆδοι Σύροις· ὑμᾶς δὲ ἐκ τοσούτου πάντες ἴσασιν, ἐξ ὅτου περ ἴσασιν, ἄρχοντας.*

Haec componendi ratio quam vulgaris fuerit, ex his quoque scriptorum locis, quibus imperium Romanum similiter celebratur, apparet: Plutarch. de fort. Rom. 317 F: *οὕτως ἡ Τύχη καταλιποῦσα Πέρσας καὶ Ἀσσυρίους Μακεδονίαν μὲν ἐλαφρὰ διέπτη καὶ ἀπεσείσατο ταχέως Ἀλέξανδρον... οὕτως εἰσῆλθεν εἰς Ῥώμην ὡς μενοῦσα καὶ τοιαύτη πάρεστιν ὡς ἐπὶ τὴν δίκην*, Aemil. Sur. fragm. (Hist. Rom.

Aristidis temporibus haec contentio in schola declamatoria adeo pervulgata erat, ut certum auctorem, a quo Aristides illam laudationem imperii Romani sumpserit, statuere licere negemus.

frg. rec. H. Peter p. 377, 23) „Assyrii principes omnium gentium rerum potiti sunt, deinde Medi, postea Persae, deinde Macedones; exinde... summa imperii ad populum Romanum pervenit“ (similiter Velleius Paterc. I 6, 6), Ampel. 10 (ed. Halm, 1889): „imperia ab ineunte aevi memoria fuerunt septem: Primi rerum potiti sunt Assyrii, deinde Medi, postea Persae, tum Lacedaemonii, dein Athenienses; post hos inde Macedones: sic deinde Romani“. Similiter Bruttius (H. R. frg. p. 376, Peter) frg. 2: *ὁ Ἀλέξανδρος... παρέλαβε πᾶσας τὰς χώρας.... καὶ ἐλευθερώσας... πᾶσαν τὴν γῆν τῶν Ῥωμαίων καὶ Ἑλλήνων καὶ Αἰγυπτίων ἐκ τῆς Ἀσσυρίων καὶ Περσῶν καὶ Πάρθων καὶ Μήδων ὑποταγῆς καὶ δουλείας, ἀποδοὺς Ῥωμαίοις πάντα)*, Dexippus (Hist. Graec. min., I p. 199, 14, Dindorf) frg. 29: *Αὕτη* (sc. *ἡ τῶν Ῥωμαίων ἀρχή) τῆς Ἀσσυρίων καὶ Περσῶν καὶ Μακεδόνων τῶν πρὶν μακρῷ ὑπερῆρεν, ὁρισαμένη πέρατα ἑαυτῆς πρὸς μὲν ἕω... κτλ.*, Choricius 21 (ed. Graux, Revue de philologie I 227) *πέντε τοίνυν εἰσὶ μνῆμαι βασιλειῶν καὶ μήποτ' εἴη πλειόνων· ἀρίστη δὲ καὶ μεγίστη πασῶν ἡ παροῦσα* (i. e. imperium Romanum).

Etiam poetae Romam laudantes nonnumquam imperium cum pristinis Assyriorum, Medorum, Macedonum vel Graecorum composuerunt. Legimus enim similem contentionem in Romae encomio Claudiani Stilich. III 159: „Nec terminus umquam

Romanae dicionis erit. Nam cetera regna
luxuries vitiis odiisque superbia vertit:
Sic mole sublimes fregit Spartanus Athenas
atque idem Thebis cecidit; sic Medus ademit /
Assyrio Medoque tulit moderamina Perses;
subiecit Persen Macedo, cessurus et ipse
Romanis.“

et apud Rutilium I 81:

„Omnia perpetuos quae servant sidera motus,
nullum viderunt pulchrius imperium.
Quid simile Assyriis conectere contigit armis?
Medi finitimos condomnere suos.

Magni Parthorum reges Macetumque tyranni
mutua per varias iura dedere vices[1]).“

Sed multo magis quam hac comparandi ratione magnitudo imperii Romani illustrata est descriptione ambitus atque complexus huius imperii. Quod argumentum saepissime poetae et oratores adhibuerunt, quorum permultis nihil gloriosius videtur fuisse quam haec inaudita imperii amplitudo. Sed magis etiam quam aliis laudis Romae locis poetae hic amplificare solent notissimum illud rhetorum praeceptum secuti, quod tradit auctor ad Herenn. III 8 (15): „in ipsa causa crebras et breves amplificationes interponemus per locos communes.“ **De ambitu et complexu imperii**

Saepissime autem auctores imperium Romanorum in totum orbem terrarum pertinere praedicant. Quam crebro haec amplificatio rhetorica[2]), quae formulae vim videtur accepisse, scripta sit, ex his, quos invenimus, locis poetarum et scriptorum cognoscas: Vergil. A. IV 231: **Imperium in totum orbem terrarum porrigitur**

... „ac totum sub leges mitteret orbem.“

ibidem VII 258:

(progenies) „totum quae viribus occupet orbem.“

---

[1]) Carolus Pascal: Una probabile fonte di Rutilio Namaziano, Napoli 1903, p. 13, contendit Rutilium hanc imperii Romani pristinorumque regnorum contentionem et alia permulta in Romae encomio suo prolata ex Aristidis panegyrico sumpsisse. At omnes res a poeta et ab oratore similiter expressae etiam in aliis Romae encomiis persaepe exstant, ut inde utrumque auctorem locos communes ex arte rhetorica petivisse colligamus (cf. p. 47, 3). Haec sententia confirmatur ea ipsa re, quod Gallum quinti saeculi poetam orationes rhetoris Graeci in Asia secundo saeculo florentis cognovisse non ita verisimile videtur. Nam etsi quarto et quinto p. Chr. n. saeculo in scholis Galliae Narbonensis artes rhetoricae enixissime colebantur, tamen studium litterarum Graecarum fere omnino neglegebatur et Ausonium ipsum, virum perfecta eruditione vix primas litteras Graecas didicisse constat. (id quod ostendit Georgius Kaufmann: „Rhetorenschulen und Klosterschulen oder heidnische und christliche Kultur in Gallien während des 5. und 6. Jahrh.“, Raumers hist. Taschenbuch IV (1896), p. 18 sq.)

[2]) Gibbon: Geschichte des Verfalls und Unterganges des römischen Weltreiches, Lips. 1837, p. 21: „Geblendet von der ausgebreiteten Herrschaft ... maßen sich die Römer allmählich das Recht an, die römische Monarchie mit dem Erdkreis zu verwechseln.“

Propert. III 11, 57:

„septem urbs alta iugis, *toto* quae praesidet *orbi*.“

Tibull. III 7, 176:

„solus *utroque* idem diceris magnus in *orbe*.“

Ovid. f. I 85:

„Iuppiter arce sua *totum* cum spectet in *orbem*,
nil nisi *Romanum*, quod tueatur, habet.“

f. I 517:

„montibus his *olim* totus promittitur *orbis*.“

f. I 717:

„Horreat Aeneadas et primus et *ultimus* *orbis*.“

f. III 33:

... „gravibus ramis *totum* protexerat *orbem*.“

f. IV 256:

(Roma) ... „*edomito* sustulit *orbe* caput.“

f. IV 861:

„et quotiens steteris *domito* sublimis *in* *orbe*,
omnia sint umeris inferiora tuis.“

tr. I 5, 69:

„sed quae de septem *totum* circumspicit *orbem*
montibus, imperii Roma deumque locus.“

tr. III 7, 51:

„dumque suis septem victrix de montibus *orbem*
prospiciet *domitum* Martia Roma.“

art. III 114:

„*domiti* magnas possidet *orbis* opes.“

nuc. 145:

„auxilium toto spargit in *orbe* suum.“

Manil. IV 774:

(Roma) „*orbis* et imperio retinet discrimina rerum
776. qua genitus Caesarque meus nunc condidit *orbem*
et propriis frenat pendentem nutibus *orbem*.“

Lucan. I 285:

„Roma *subegerat* *orbem*.“

ibidem VII 400, 402:

„toto populi qui nascimur orbe
Urbs nos una capit."

Sil. Ital. I 31:

„Totum signa videt victricia ferre per orbem."

auct. Octaviae 39:

„cuius imperio fuit
subiectus orbis."

Nemesian. cyn. 65:

„nostrum geminis sub finibus orbis Litus."

Priscian. II 350:

„Romam, quae genetrix regum dominatur in orbem."

Claudian. b. Gild. I 96:

„ille diu miles populus, qui praefuit orbi."

Prudent. in Symm. I 427:

„Omne quod ex mundo est, tibi subiacet; hoc Deus ipse
constituit, cuius nutu dominaris et orbi
imperitas, et cuncta potens mortalia calcas."

Neque aliter hi scriptores pedestres: Cicero de imp. 17, 53: „hanc gloriam atque hoc orbis terrae imperium"[1]; idem de re publ. III 15, 24: „noster hic populus ... cuius imperio iam orbis terrae tenetur"; Velleius Paterc. II 4, 6: „super totum terrarum orbem Roma extulerat caput"; Plinius XXXVI 118: „en hic est ille terrarum victor et totius domitor orbis"; Florus II 2, 3: „populus gentium victor orbisque possessor"; idem IV 2, 8: „Romana maiestas toto orbe pollet"; Aristides XXVI 9: *ὑπὸ τοσαύτης ἄρχεται πᾶσα ἡ οἰκουμένη*, idem 59: *ἐπὶ τῆς ἀρχῆς τοῦτο δ'εἰπὼν ἅπασαν εἴρηκα τὴν οἰκουμένην*, Minucius Felix Octav. 6, 2: „sic eorum potestas et auctoritas totius orbis ambitum occupavit"; Hiero-

[1]) Qui scriptor passim de imperio orbis terrarum dicit (cf. leg. agr. II, 98; Balb. 16; Phil. III, 34; 35; Sest. 67).

nymus epist. 127, 12, 1: „Capitur urbs, quae totum cepit orbem"[1]); Canisius Chron. 1: „Roma orbis quondam victrix a Gothis ... capta."[2])

Alibi prorsum idem ita expressum est, ut Romani omnes terras, vel totum mundum subegisse dicantur. Haec amplificatio, quam in Alexandri ipsius quoque laudibus adhibitam esse apparet ex hoc loco Iustini (epitom. Pomp. Trog. XI 15, 10): „Alexandro ... terrarum omnium victori", occurrit apud hos poetas: Vergil. A. III 97:

„hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris."

ibidem VI 782:

„imperium terris, animos aequabit Olympo."

Ovid. f. IV 858:

(urbs) „victorem terris impositura pedem."

Pont. III 3, 61:

„Si regat imperium terrasque coerceat omnes
Caesar."

Pont. IV 9, 128:

„Caesar, ut est oculis subdita terra tuis."

Dracont. c. prof. 8, 196:

„Troianis dabitur totus possessio mundus."

Rutil. I 77:

„Tu quoque, legiferis mundum complexa triumphis."

Coripp. Ioh. I 183:

„atque tenet latum dominantis foedere mundum"

et hos scriptores: Cic. de re publ. III 23, 35: „Noster populus sociis

---

1) Adnominationem rhetoricam, quam Hieronymus significat his verbis: capitur — cepit (urbs — orbem), legimus melius expressam apud Lucanum, qui poeta similem sententiam profert II 655:

„Ipsa caput mundi, bellorum maxima merces,
Roma capi facilis."

Neque admonere alienum est Horat. ep. II 1, 156: „Graecia capta ferum victorem cepit", a quo versu utriusque auctoris adnominationem profectam esse verisimile est.

2) Quem scriptorem citat Gregorovius l. c. p. 163, 2.

defendendis terrarum iam omnium potitus est[1]); Ammian. Marcell. XIV 6, 6: „per omnes .. quotque sunt partesque terrarum, ut domina suscipitur (Roma)“; Paneg. Lat. XI 13, 5 (de Maximiano quidem): „Neque enim ulla pars terrarum maiestatis vestrae praesentia caret.“

Idem denique significant poetae scriptoresque, cum Romanis gloriae vertant, quod omnes terras et maria in potestatem suam redegerint. Simili laudatione iam Alexandri regnum amplificatum est ab Arriano, qui Alexandrum milites his verbis adhortantem fingit (Anab. Alex. VII 10, 2): *νικῶντας ὑμᾶς ἄγω διὰ πάσης γῆς καὶ θαλάσσης καὶ πάντων ποταμῶν καὶ ὀρῶν καὶ πεδίων πάντων.*

Romanos autem hoc modo primus laudat interpolator Lycophronis[2]), cum Cassandram magnitudinem imperii Romani vaticinantem facit his versibus (Alexandr. 1226):

Γένους δὲ πάππων τῶν ἐμῶν αὖθις κλέος
μέγιστον αὐξήσουσιν ἄμναμοί ποτε,
αἰχμαῖς τὸ πρωτόλειον ἄραντες στέφος,
γῆς καὶ θαλάσσης σκῆπτρα καὶ μοναρχίαν
λαβόντες,

similiter Vergilius A. I 236:

„qui mare, qui terras omni dicione tenerent.“

Melinno (Stob. flor. III 12) 9:

σᾷ δ'ὑπὰ σδεύγλᾳ κρατερῶν λεπάδνων
στέρνα γαίας καὶ πολιᾶς θαλάσσας

---

[1]) Secundum rhetorum praecepta, quae legimus apud Theonem 110, 20: *ἐπαινοῦνται καὶ αἱ πρὸ τῶν φίλων τιμωρίαι καὶ κίνδυνοι* aliis quoque nonnullis locis Romani laudantur, quod pro sociis pericula subierint: scribunt enim Cicero pro imp. 2, 6: „agitur salus sociorum atque amicorum, pro qua multa maiores vestri magna et gravia bella gesserunt“, Livius XXXIII 33, 5: „Esse aliquam in terris gentem, quae sua impensa, suo labore ac periculo bella gerat pro libertate aliorum“, Claudian. Stilich. III 182:

„Nec tamen ingratum nec, qui benefacta referre
nesciat, hunc credas populum. Si volvere priscos
annales libeat: quotiens hic proelia sumpsit
pro sociis!“

[2]) conferas p. 28, 1.

σφίγγεται· σὺ δ'ἀσφαλέως κυβερνᾷς
ἄστεα λάων.

poeta carm. Anth. Pal. IX 526:

Κλῖε, θεός, μεγάλοιο πύλας ἀκμῆτας Ὀλύμπου.
φρούρει, Ζεῦ, ζαθέαν. αἰθέρος ἀκρόπολιν.
Ἤδη γὰρ καὶ πόντος ὑπέζευκται δόρι Ῥώμης,
καὶ χθών· οὐρανίη δ'οἶμος ἔτ' ἔστ' ἄβατος.

Lucan. I 110:

„Quae mare, quae terras, quae totum possidet orbem."

Claudian. b. Gild. I 114:

„ast ego, quae terras umeris pontumque subegi."

Prudent. in Symm. II 579:

... „dicis domitum terraque marique
orbem";

neque aliter hi scriptores: Cicero pro imp. 19, 56: „aliquando vere videmur omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperare"; idem Catil. II 5, 11: „Nulla est natio, quam pertimescamus, nullus rex, qui bellum populo Romano facere possit. Omnia sunt externa unius virtute terra marique pacata"; Dionys. Hal. I 3, 3: *ἡ δὲ Ῥωμαίων πόλις ἁπάσης μὲν ἄρχει γῆς ὅση μὴ ἀνέμβατός ἐστιν, ἀλλ' ὑπ' ἀνθρώπων κατοικεῖται, πάσης δὲ κρατεῖ θαλάσσης*, Florus I 45, 16: „Omnibus terra marique peragratis."

Imperium usque ad extremos populos et fluvios pertinet

Magis etiam quam omnes loci adhuc allati illi ex ludis rhetorum pendent quibus magnitudinem imperii ad ultimos mundi populos vel fluvios porrigi exprimitur. Nam poetis et scriptoribus cum imperium per totum terrarum orbem extendi significare volunt, nonnumquam in deliciis est[1]) Indos, Medos, Arabas, Scythas, Britannos vel similes populos, ex fluviis Nilum, Gangem, Araxem, Euphraten, Tanain, Rhenum alios enumerare, quos omnes in Romanorum potestate esse contendunt. Tales autem enumerationes in scholis rhetorum originem habent, quos encomia ornanda esse indicibus

[1]) Conferas haec verba Nordeni comm. ad. Vergilium VI 794: „Im Stil des Enkomion wird das Ende der Erde geographisch spezialisiert; den *τόπος* kennt schon Pindar J. 5 (6) 23: seine Taten erstrecken sich *καὶ πέραν Νείλοιο παγᾶν καὶ δι' Ὑπερβορέους*.

geographicis docuisse verisimile est[1]. Praeterea in Menandri ipsius praeceptis rhetoricis similem populorum subactorum enumerationem legimus (III 387, 20): *οἱ πατέρες ἡμῶν ἦρξαν οὐ μικρῶν θαλάσσης μέτρων, οὐδὲ νήσων τινῶν ἄρχουσιν, οὐδὲ περιγεγραμμένων τόπων, καθάπερ ἡ Πελοπόννησος, ἀλλ' ἦρξε μὲν Λυδίας, ἐπῆρξε δὲ Καρίας,. καὶ προῆλθε τὴν ἑῴαν ἅπασαν καταστρεφόμενος, καὶ ὡμολόγησαν ἡμῖν δουλεύειν Αἰγύπτιοι καὶ Βλέμμυες καὶ Ἐρεμβῶν γένη.* Quae cum ita sint, omnibus magnitudinis imperii Romani laudationibus, quas afferemus, rhetoricum colorem inesse censemus.

Atque enarrare incipiamus a Vergilio, qui amplitudinem imperii Augusti celebrat (Aen. VI 794):

„super Garamantas et Indos
proferet imperium."
798 huius in adventum iam nunc et Caspia regna
responsis horrent divom et Maiotia tellus
et septemgemini turbant trepida ostia Nili".

Similiter Nilum et Maeotas extremos imperii fines ponit Aristides XXVI 28: *ἐκφεύγει. δὲ ὑμᾶς οὐδὲν, οὐ πόλις, οὐκ ἔθνος, οὐ λιμήν, οὐ χωρίον ... ἐρυθρά τε θάλαττα καὶ Νείλου καταράκται καὶ λίμνη Μαιῶτις, ἃ τοῖς πρότερον ἐν πέρασι γῆς ἠκούετο, ἴσα καὶ αὐλῆς ἑρκία τῇδε τῇ πόλει;* neque aliter Dexippus, frg. 29: *(ἡ Ῥωμαίων ἀρχή) ... ὁρισαμένη πέρατα ἑαυτῆς πρὸς μὲν ἕω Ἰνδοὺς καὶ Ἐρυθρὰν θάλατταν καὶ Νεῖλον καὶ Καταρράκτας καὶ λίμνην Μαιῶτιν,* et Mamertinus, qui orator Ennii versum[2] citans uberius hoc loco rhetorico utitur (Paneg. Lat. XI 16, 3): „a sole exoriente usque ad Maeotis paludes" „id nunc longius longiusque

---

[1]) Haec lex scholastica elucet ex his Horati versibus, quibus poetae Augustum laudaturo praecipitur (epist. II 1, 251):

„res componere gestas
terrarumque situs et flumina dicere et arces
montibus impositas et barbara regna".

(cf. Peter. l. c. II 214: „Auch die Rhetorik bemächtigte sich der Geographie, um durch sie Abwechslung in die Erzählung zu bringen, und nach der Meinung der Dichter gehörten geographische Listen dem hohen Stil an.")

[2]) Qui poeta hoc versu (var. IV 21 ed.[2] Vahlen.) primus extremos terminos septentrionales paludibus Maeotidis significat. Similiter etiam Florus

protendere licet . . . Etenim ab ipso solis ortu non modo (hac citra Maeotis) sub extrema septentrionis plaga, qua fervidum caput Danuvius evolvit quaque horridus secat Alba Germaniam, sed etiam sub ipso lucis occasu, qua Tingitano litori Calpetani montis obvium latus in mediterraneos sinus admittit oceanum, ruunt omnes in sanguinem suum populi, quibus numquam contigit esse Romanis, obstinataeque feritatis poenas nunc sponte persolvunt."

Neque minus rhetorice hi poetae scriptoresque imperii Romani magnitudinem laudibus tollunt: Horat. c. IV 15, 21:

„non qui profundum Danuvium bibunt
edicta rumpent Iulia, non Getae,
non Seres, infidive Persae
non Tanain prope flumen orti."

idem c. IV 14, 41, ubi Augustus celebratur[1]):

„te Cantaber non ante domabilis
Medusque et Indus, te profugus Scythes (miratur)."

idem c. saec. 53:

„iam mari terraque manus potentis
Medus Albanasque timet securis
iam Scythae responsa petunt, superbi
nuper, et Indi."

Claudian. b. Gild. I 456:

„... cui non Nilus, non intulit India metas",

idem IV Hon. cos. 257:

„Tu licet extremos late dominare per Indos,
te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent".[2])

I 39, 6: „Lucullus (pervenit) ad terminum gentium Tanain lacumque Maeotim."

[1]) Similem imperatoris laudem profert Martial. XII 8, 8:

„Parthorum proceres ducesque Serum,
Thraces, Sauromatae, Getae, Britanni,
possum ostendere Caesarem: venite."

[2]) Poetae quinti p. Chr. n. saeculi, quo imperium in ruinam pronum videbatur esse, hunc locum communem temporibus accommodare student, cum

Tum necessitudinem quandam statuere possumus inter hos scriptores: Panegyr. Lat. II 22, 2: „Non oceano Indus, non frigore Bosforanus, non Arabs medio sole securus est: quo vix pervenerat nomen ante Romanum, accedit imperium", Rutilium I 59:

„Te non flammigeris Libye tardavit arenis,
non armata suo reppulit Ursa gelu" [1]),

Sidonium Apoll. c. 5, 472:

„nam quicquid languidus axis
cardine Sithonio sub Parrhase parturit ursa,
hoc totum tua signa pavet".

(v. 474—78 enumerantur XVIII gentes, quae Romanorum in potestate sunt).

478 „tibi militat omnis
Caucasus et Scythicae potor Tanaiticus undae."

Appianus denique in prooemio 1—5 iam omnibus imperii finibus et populis accurate et distincte enumeratis in contentione pristinorum et Romani imperii (cf. p. 100 sq.) hunc laudationis locum iterat, cum dicit prooem. 9: *τεκμαιρόμενος ὅτι Ῥωμαίοις ἀπό τε δύσεων καὶ τοῦ πρὸς ἑσπέραν ὠκεανοῦ ἐπὶ τὸ Καύκασον ὄρος καὶ ποταμὸν Εὐφράτην καὶ ἐς Αἰθίοπας τοὺς ἄνω δι' Αἰγύπτου καὶ Ἀράβων ἐπὶ τὸν ἑῷον ὠκεανὸν ἡ ἀρχὴ διεξέρχεται*, et similiter Josephus bell. Iud. II 363: *οὐ γὰρ ἐξήρκεσεν αὐτοῖς ὅλος Εὐφράτης ὑπὸ τὴν ἀνατολὴν οὐδὲ τῶν προσαρκτίων ὁ Ἴστρος ἥ τε μεσημβρινὴ μέχρι τῶν ἀοικήτων ἐρευνηθεῖσα Λιβύη καὶ Γάδειρα πρὸς ἑσπέραν.*

Idem scriptor praeter Euphraten et Istrum etiam Rhenum enumerat (bell. Iud. III 107): ... *εἰ πρὸς ἕω μὲν Εὐφράτης, ὠκεανὸς δὲ πρὸς ἑσπέραν, μεσημβρινὸν δὲ Λιβύης τὸ πιότατον καὶ πρὸς ἄρκτον Ἴστρος τέ καὶ Ῥῆνος τῆς ἡγεμονίας ὅροι; δεόντως γὰρ ἄν τις εἴποι τὸ κτῆμα*

magnitudinem imperii non ipsam laudant sed tantum optant, ut hi extremi populi vel fluvii in Romanorum potestate remaneant vel revertantur, cf. Claudian. Probr. Olybr. 160 sqq.; Rutilium I 145 (p. 112).

[1]) Similem contentionem legimus apud Statium S. V 2, 133:
„Arctoosne amnes et Rheni fracta natabis
flumina an aestiferis Libyae sudabis in armis?"

τῶν κτησαμένων ἔλασσον.[1]) non aliter atque hi poetae, qui magnitudinem imperii Romani laudantes ultima flumina enarrant, quibus fines imperii contineri contendunt: Vergil. A. VIII 726:

„Euphrates ibat iam mollior undis,
extremique hominum Morini Rhenusque bicornis
indomitique Dahae et pontem indignatus Araxes."

(cf. Horatium c. IV 14, 45:

„te fontium qui celat origines
Nilusque et Hister, te rapidus Tigris"

(sc. Caesarem venerantur),

Seneca epigr. 35:

„Opponis frustra rapidum, Germania, Rhenum
Euphrates prodest nil tibi, Parthe fugax",

idem epigr. 31:

„Euphrates ortus, Rhenus praecluserat Arctos"

Nemesian. cyn. 65:

„Atque canam nostrum geminis sub finibus orbis
litus et edomitas fraterno numine gentes,
quae Rhenum Tigrimque bibunt Ararisque remotum
principium Nilique vident in origine fontem."

Claudian. Prob. Olybr. cos. 160:

„sic nobis Scythicus famuletur[2]) Araxes,
sic Rhenus per utrumque latus, Medisque subactis
nostra Semiramiae timeant insignia turres;
sic fluat attonitus Romana per oppida Ganges."

Rutilius I 145:

„Aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet."

---

[1]) Quae Iosephi verba aliquo pacto componere licet cum hoc versu Rutili I 92:

(„Quod regnas, minus est quam quod regnare mireris)
Excedis factis grandia fata tuis."

[2]) Fluvios Romae famulos esse saepe dictum a poetis esse Zumptius ad Rut. I 151 compluribus locis similibus allatis ostendit, quibus adicere liceat: Martial. IX 1, 3: „famuli — Rheni".

Prudentius in Symm. II 604:

„Romanosque omnes fieri, quos Rhenus et Ister,
quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Hiberus,
corniger Hesperidum quos interlabitur et quos
Ganges alit tepidique lavant septem ostia Nili."

Sidon. Apoll. c. 2, 440 sqq. (ubi fines pristini imperii, quibus Romani poetae aetate cedere coacti erant, describuntur his versibus):

„(venio) ... non ut mihi pressus Araxes
imposito sub ponte fluat nec ut ordine prisco
Indicus Ausonia potetur casside Ganges."

Idem poeta similem sententiam exprimit (c. 7, 74):

„Indorum Ganges, Colchorum Phasis, Araxes
Armeniae, Ger Aethiopum Tanaisque Getarum
Thybrinum tremuere meum."[1])

Huc etiam pertinent hi scriptores: Aristides XXVI 82: *ὅσον Αἰθιοπίας τὸ ἐποικούμενον καὶ Φᾶσις ἐνθένδε καὶ Εὐφράτης ἄνω καὶ πρὸς ἑσπέραν.* Panegyr. Lat. XI 6, 6: „Vobis Rhenus et Hister et Nilus et cum gemino Tigris Eufrate"; Tacitus A. I 9: „mari Oceano aut amnibus longinquis saeptum imperium", qui historicus his verbis alium quoque locum communem tangit, qui laudatoribus imperii Romani saepissime ante oculos fuit.

Praeter fluminum enim nomina poetae et declamatores ad ambitum imperii significandum etiam Oceanum ponunt, quem ab occidente imperium terminare vel totum includere vel exaggerantes medio in imperio esse contendunt[2]) crebro ea rhetorum praecepta secuti, quae in Alexandri encomiis exculta esse invenimus. De Alexandro enim, cuius facta in scholis declamatoriis decantata esse constat[3]), exstat suasoria Senecae inscripta (suas. 1): „Deliberat

Oceanus est imperii terminus

[1]) Vide quoque Statium silv. V 2, 132—142, ubi Rhenus, Hister, Araxes inter fines imperii Romani afferuntur.

[2]) Dicit autem de hoc loco Friedlaenderus, Ioh. Gazensis et Paul. S, p. 268: „Der Ocean ist seit langem zur Vorstellung der Weltherrschaft gehörig."

[3]) cf. Quintilian. inst. or. III 8, 16: „coniectura est: ..... an Alexander terras ultra Oceanum sit inventurus"; Senec. suas. 4; Cicer. de orat. II 341; auct. ad Her. IV 22 (31); Menand. III 388, 6.

Alexander, an Oceanum naviget", in qua magnitudo regni Macedonum eodem modo celebratur, quo imperium Romanum. Itaque utriusque laudationes ab arte rhetorica expressas esse verisimile est.

Atque quod Seneca suas. 1, 3 de Alexandri regno scribit: „Imperium tuum cludit Oceanus", de imperio Romano canunt hi poetae: Seneca epigr. 34, 5:

„Ultima cesserunt adaperto claustra profundo
et iam Romano cingimur Oceano."

auct. carm. Anth. Pal. IX 297, 5:

Ῥώμην δ' ὠκεανῷ περιτέρμονα πάντοθεν, αὐτὸς
πρῶτος ἀνερχομένῳ σφράγισαι ἠελίῳ.

Claudian. b. Gild. I 454:

„Ius Latium, quod tunc Meroe Rubroque solebat
oceano cingi."

Rutilius I 55:

„Nam solis radiis aequalia munera tendis,
qua circumfusus fluctuat Oceanus."

similiter porro Prudent. in Symm. II 811:

„Unus est Oceanus, nostrum qui continet orbem."

Ad eundem locum redeunt poetae Caesaris potentiam celebrantes; scribunt enim Vergil. A. I 286:

„Nascetur pulchra Troianus origine Caesar,
imperium Oceano, famam qui terminet astris",

auct. carm. Anth. Pal. IX 778:

Γαῖαν τὴν φερέκαρπον ὅσην ἔζωσε περίχθων
ὠκεανὸς μεγάλῳ Καίσαρι πειθομένην.

Paulus Silentiarius H. Sophia 11 (in Iustinianum):

ὑοχί πρὸς τὴν ἑσπέραν
ὅρος μὲν ἡμῖν ὠκεανὸς τοῦ σοῦ κράτους
τὴν γῆν διεκδραμοῦσι;

Nec aliter imperii Romani ambitum praedicant hi scriptores: Livius XXXVI 17, 15: „Quid deinde aberit, quin ab Gadibus ad mare rubrum Oceano fines terminemus, qui orbem terrarum amplexu finit, et

omne humanum genus[1]) secundum deos nomen Romanum veneretur?" Appiàn prooem. 9: „καὶ ὅρος ἐστὶν αὐτοῖς ὁ ὠκεανὸς ἀρχομένου τε καὶ δυομένου τοῦ θεοῦ, θαλάσσης τε πάσης ἡγεμονεύουσι τῆς ἐντὸς οὔσης καὶ νήσων ἁπασῶν καὶ ἐν τῷ ὠκεανῷ Βρεττανῶν, Dio Cassius XLIV 43, 1 ἡμᾶς ὅρους μὴ γῆν μηδ' ἀνθρώπους τὸ λοιπὸν, ἀλλὰ ἀέρα καὶ τὴν ἔξω θάλατταν ἔχειν, auct. cosmogr. 1a: (Romani) „cum quidquid subiacet caelo penetrarent triumphis, omnem terram oceani limbo circumdatam invenisse atque eam ne incognitam posteris reliquissent, subiugato virtute sua orbe totum qua terra protenditur proprio limite significavisse"; similiter etiam Panegyr. Lat. VIII 20, 5: „Nulla progrediendi causa superest nisi si, quod natura vetuit, fines ipsius quaerantur oceani."

Alibi autem oceanum medio in imperio Romano et quasi partem eius esse scriptum est; legimus enim apud Senec. ep. 31:

„Oceanus medium venit in imperium",

Aristid. 10: οὐ γὰρ σκόπελοι θαλάττιοι ... ἀρχὴν ὁρίζουσιν ... οὐδ' ἐπὶ τακτοῖς ὅροις βασιλεύετε ... ἀλλ' ἡ μὲν θάλαττα ὥσπερ ζώνη τις ἐν μέσῳ τῆς οἰκουμένης ὁμοίως καὶ τῆς ὑμετέρας ἡγεμονίας τέταται. Senec. ep. 33:

„Ultima cingebat Thybris tua, Romule, regna
hic tibi finis erat, religiose Numa;
et tua, Dive, tuo sacrata potentia caelo
extremum citra constitit Oceanum.
At nunc Oceanus geminos interluit orbes:
pars est imperii, terminus ante fuit."[2])

Similiter etiam Ovid. met. XV 829:

„Quid tibi barbariam gentesque ab utroque iacentes

[1]) Similiter Florus II 14, 8: „Romanae dominationis id est humani generis", idem I, 1, 2: „Populus Romanus... ita late per orbem terrarum arma circumtulit, ut qui res illius legunt non unius populi, sed generis humani facta condiscant," et Themist. or. XIII 178 B: τοῦ ἀνθρωπίνου φύλου, οὗ προστάται ἐλάχετε εἶναι.

[2]) Hoc epigramma praeter locum rhetoricum, qui est ab Oceano, artem scholasticam profert ipsa quoque contentione sententiarum, quae eadem est atque in Ovidi nonnullis carminibus, quae tractavimus supra p. 36 sq.

oceano numerem? quodcumque habitabile[1]) tellus
sustinet, huius erit: pontus quoque serviet illi."

et Panegyr. Lat. XI 6, 6: „Vobis ... uterque qua solem accipit et redit oceanus."

Sed etiam ultra Oceanum et in ipsam Britanniam imperium Romanum extendi contendunt: Minuc. Felix Octav. c. 6, 2: „imperium suum ultra ... ipsius oceani limites propagavit"; Senec. epig. 29, 3 (in laudibus quidem Caesaris):

„Oceanusque tuas ultra se recipit aras",

idem epigr. 35, 3:

„Oceanusque iam terga dedit, nec pervius ulli
Caesareos fasces imperiumque tulit:
illa procul nostro semota exclusaque caelo
alluitur nostra victa Britannis aqua."[2])

auct. Octaviae 38:

„stirpemque Claudi, cuius imperio fuit
subiectus orbis, paruit liber diu
Oceanus et recepit invitus rates.
en qui Britannis primus imposuit iugum".[3])

Claudian. Stilich. III 148:

„Nec stetit Oceano remisque ingressa profundum
vincendos alio quaesivit in orbe Britannos."

Iosephus b. Iud. II 363: *ἀλλ' ὑπὲρ ὠκεανὸν ἑτέραν ἐζήτησαν οἰκουμένην καὶ μέχρι τῶν ἀνιστορήτων πρότερον Βρεττανῶν διήνεγκαν τὰ*

---

[1]) Idem scripsit Horatius IV 14, 5:

„O qua sol habitabilis
illustrat oras"

et Dionys. Hal. I 3, 3 (Roma) *ἄρχει ἁπάσης γῆς ὅσα μὴ ἀνέμβατός ἐστιν, ἀλλ' ὑπ' ἀνθρώπων κατοικεῖται.*

[2]) De Britannia idem dicit (epigr. 36):

1. „Semota et vasto disiuncta Britannia ponto,
10. Coniunctum est, quod adhuc orbis et orbis erat."

[3]) Britanniam subactam Dexippus item praedicat (frg. 29): *ὅσα δὲ πρὸς δυσμὰς Ὠκεανόν τε αὐτόν ... εἴ γε καὶ ἡ Βρεττανῶν χώρα, ἣν περιρρέων νῆσον ἐργάζεται, νῦν εὑρεθεῖσα ἐν πέρασι τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς ἀριθμεῖται.*

ὅπλα, Florus (Caesarem quidem laudans[1]) I 45, 16: „Omnibus terra marique peragratis respexit Oceanum et, quasi hic Romanis orbis non sufficeret, alterum cogitavit ... in Britanniam transit."

Tanto autem imperio, quod ultra ipsum Oceanum porrigitur, nullus omnino terminus opponi potest. Hoc quoque argumentum ex schola declamatoria petitum videtur esse, cum Alexander ab eodem loco praedicatus sit apud Senec. suas. 1, 2: „idem sunt termini et regni tui et mundi[2])". Ex scriptoribus autem, qui Romam laudibus efferunt, hunc locum adhibent: **Imperio nullus omnino terminus est**

Vergil. Aen. I 278:

„His ego nec metas rerum nec tempora pono",

Horat. c. III 3, 53:

„quicumque mundo terminus obstitit,
hunc tanget armis."

Senec. epigr. 29, 4:

„qui finis mundo est, non erat imperio."

similiter Aristides XXVI 28: *Νῦν δὲ ὅροι ... ἐκτέτανται, οὐδ' ὥστε εἶναι μέτρῳ λαβεῖν τὸ ἐντὸς αὐτῶν*, quibus locis liceat addere similes Panegyricorum Latinorum sententias ad imperatores pertinentes (X 7, 2): „Qua tu (sc. Maximiane) primus omnium, imperator, probasti Romani imperii nullum esse terminum nisi qui tuorum esset armorum"; (II 23, 1): (Theodosius) „dum in remotam terrarum vincendo procedis, dum ultra terminos rerum metasque naturae regna orientis extendis, dum ad illos primae lucis indigenas et in ipsum, si quod est, solis cubile festinas."

[1]) Adnatat ad hunc Flori locum Spengelius l. c. p. 341: „Das ist nicht persönliche Schmeichelei wie bei Velleius gegen Tiberius: denn Florus ist kein Bewunderer Cäsars: aber sein eitler Patriotismus sieht in ihm den Römer, in welchem sich die virtus des populus Romanus verkörperte, welcher alles Meer und Land gehorchen muß."

[2]) Ab eodem declamatore Alexander similiter celebratur (suas. 1, 2): „testatum est, Alexander, nihil ultra esse, quod vincas." Qui laudis locus pervulgaris videtur fuisse in Alexandri encomiis: conferas quaeso Livium XLII 52, 14: „(Macedones) non ante vincere desierint, quam ... quod vincerent defuerit"; similiter dixisse invenimus Dio. Chryst. de regno IV 51; Symmach. laud. in Gratian. or. III, 10.

Neque minus exaggerant poetae et declamatores laudes imperii Romani, cum conferunt fines, quos sol percurrit, cum terris, quae in potestate Romanorum sunt. Quam laudationem, cum eandem in Alexandri encomio legamus — scribit enim Senec. suas. 1, 1: „Satis sit hactenus Alexandro vicisse, qua mundo lucere Soli satis est"; idem 1, 2: „vicimus qua lucet" — locum communem arte rhetorica excultum esse apparet.

Atque omnia a sole oriente usque ad occidentem Romana esse dictum invenimus ab his poetis:

Horat. c. IV 15, 13:

... „Latinum nomen et Italae
crevere vires famaque et imperi
porrecta maiestas ad ortus
solis ab Hesperio cubili",

Ovid. f. IV 831 (ubi Romulus haec precatur):

„Longa sit huic aetas dominaeque potentia terrae,
sitque sub hac oriens occiduusque dies",

Tibull. II 5, 57:

„Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
qua sua de caelo prospicit arva Ceres,
quaque patent ortus et qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos",

Stat. S. III 3, 47:

„sed quibus occasus pariter famulantur et ortus",

Rutil. I 57:

„Volvitur ipse tibi qui continet omnia Phoebus
eque tuis ortos in tua condit equos",

Dracont. c. prof. 8, 193:

„Troianos regnare placet, qua solis habenae
ostendunt tolluntque diem".

Eodem modo potentia imperatorum Romanorum laudatur ab auctoribus carminum Anth. Pal. XVI 61 (in Neronem):

Ἀντολίαι, δύσιες, κόσμου μέτρα· καὶ τὰ Νέρωνος
ἔργα δ'ἀμφοτέρων ἵκετο γῆς περάτων,

Ἥλιος Ἀρμενίην ἀνιὼν ὑπὸ χερσὶ δαμεῖσαν
κείνου, Γερμανίην δ' εἶδε κατερχόμενος.

XVI 369 (in Constantinum:)

Ἀντολίης, δύσιός τε, μεσημβρίης τε, καὶ ἄρκτου
σὸς δρόμος ὑψιφαὴς ἀμφιβέβηκεν ὅρους,
ἄφθιτε Κωνσταντῖνε.

Priscian. 2, 263 (in Anastasium):

„Ut sol oceano tollens mergensque iugales
cernat Anastasii florere per omnia nomen."

Exhibent autem etiam prosaici eandem imperii Romani laudem ut: Sallust. b. Catil. 36, 4: „(Populo Romano) ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent", Dionys. Hal. I 3, 3: *(ἡ Ῥωμαίων πόλις) πρώτη καὶ μόνη*[1]) *τῶν ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος μνημονευομένων ἀνατολὰς καὶ δύσεις ὅρους ποιησαμένη τῆς δυναστείας.*

[1]) De alio quoque loco rhetorico, etsi non huc pertinet, pauca disseramus. Nam Dionysius Halic., cum scriberet: *πρώτη καὶ μόνη τῶν ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος μνημονευομένων*, hunc laudationis locum a declamatoribus praeceptum esse sibi conscius videtur fuisse. Docent enim Aristot. rhet. I 9 (p. 38, 5 ed. Sp.): *χρηστέον δὲ καὶ τῶν αὐξητικῶν πολλοῖς, οἷον εἰ μόνος ἢ πρῶτος ἢ μετ' ὀλίγων ἢ καὶ μάλιστα πεποίηκεν* (cf. Theon. II 110, 21), Cicero de orat. II 347: „Sumendae autem res erunt aut magnitudine praestabiles aut novitate primae aut genere ipso singulares", Quintilian. inst. or. III 7, 16: „dum sciamus gratiora esse audientibus, quae solus quis aut primus aut certe cum paucis fecisse videtur."

Qui encomii locus in urbium panegyricis saepe exstat; ut Isocrates Athenas laudat (Paneg. 25): *μόνοις γὰρ ἡμῖν τῶν Ἑλλήνων τὴν αὐτὴν τροφὸν καὶ πατρίδα ... καλέσαι προσήκει*, idem 39: *„πρώτη γὰρ καὶ νόμους ἔθετο καὶ πολιτείαν κατεστήσατο*, idem 109: *μόνοι δὴ τῶν μεγάλην δύναμιν λαβόντων περιείδομεν ἡμᾶς αὐτοὺς ἀπορωτέρως ζῶντας.* Neque hoc argumentum praeterit Thucyd. II 41, 3: *μόνη γὰρ τῶν νῦν ἀκοῆς κρείσσων εἰς πεῖραν ἔρχεται, καὶ μόνη οὐ ... τῷ πολεμίῳ ... ἀγανάκτησιν ἔχει.* cf. Schroederum l. c. p. 8 sq. 21; 23, ubi alii nonnulli scriptores compositi sunt, qui ad gloriam Athenarum amplificandam hanc laudandi rationem protulerunt.

Ex Romae autem laudatoribus saepe hunc locum rhetoricum exprimunt Melinno et Aristides. Scribit enim Melinno (Stob. flor. III 12):

5. *Σοὶ μόνᾳ, πρέσβιστα δέδωκε Μοῖρα*
κῦδος ἀρρήκτω βασιλῆον ἀρχᾶς,
15. *σοὶ μόνᾳ πλησίστιον οὖρον ἀρχαῖς*
ῥὺ μεταβάλλει.

Sed etiam aliis permultis poetarum scriptorumque locis amplitudo imperii Romani cum solis cursu comparatur, ut a

Vergil. A. VII 98:

„externi venient generi, qui sanguine nostrum
nomen in astra ferant quorumque ab stirpe nepotes
omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
aspicit Oceanum, vertique regique videbunt."

Ovid. f. II 136; 138 (in Augustum):

„Hoc duce Romanum est solis utrumque latus,
quodcumque est alto sub Iove, Caesar habet."

Petron. sat. 119, 1:

„orbem iam totum victor Romanus habebat
qua mare, quae terrae, qua sidus currit utrumque."

Claudian. b. Gild. I 48 (ubi Roma ipsa haec verba facit):

„ad solem victrix utrumque cucurri."

In similem porro locum incidimus apud eundem poetam Stilich. III 140:

„Dispersit cum sole manus",

apud Rutilium I 55:

„Nam solis radiis aequalia numera tendis."

---

17. *ἢ γὰρ ἐκ πάντων σὺ μόνα κρατίστους
ἄνδρας αἰχμητὰς μεγάλους λοχεύεις.*

(Similiter Constantinopolim affatur Himerius or. XVI 5: *Σὺ καὶ Ῥωμύλου πόλιν μόνη παρῆλθες τῷ θαύματι ... Σοὶ πανταχόθεν ὁλκάδες ... ἀνάγονται*) Neque minus rhetorice Aristides in Romae encomio (36) dicit: *μόνοι γὰρ πώποτε ἐλευθέρων ἄρχετε;* 85: *μόνους δὲ ἀνθρώπων εὔχεσθαι εὑρεῖν πολεμίους,* 58. *Τοῦτο μέντοι* (sc. *τὸ τὰς πόλεις φιλανθρώπως ἄγειν*) *τὸ τοὺς πρόσθεν ἅπαντας, ὡς εἰπεῖν, ἀνθρώπους διαφυγὸν ὑμῖν ἐτηρήθη μόνοις εὑρεῖν τε καὶ τελεώσασθαι,* 51: *οὔπω πρὸ ὑμῶν ἦν τὸ ἄρχειν εἰδέναι ... ἀλλὰ καὶ τοῦτο ὑμέτερόν ἐστιν εὕρημα,* id. 91. *μόνοι γὰρ ἐστε ὑμεῖς ἄρχοντες ὡς εἰπεῖν κατὰ φύσιν,* 93. *καὶ δὴ καὶ φαίη τις ἂν ἐκείνους μὲν οἷον ἐρημίας καὶ φρουρίων βασιλεῖς γεγονέναι, ὑμᾶς δὲ πόλεων ἄρχοντας μόνους,* 31. ... *πρῶτοι δεικνύουσιν, ὅπως ἄρχεθαι προσήκει.* Ad eundem locum redeunt: Claudian. Stilich. III 150:

„Haec est in gremium victos quae sola recepit."

Cassiodor var. IX 21, 4: „arma enim et reliquae gentes habent: sola reperitur eloquentia, quae Romanorum dominis obsecundat."

et Aristidem 10: *ὅπερ γάρ τις ἔφη τῶν λογοποιῶν περὶ τῆς Ἀσίας, λέγων ὅσην ὁ ἥλιος πορεύεται, ταύτης πάσης ἄρχειν ἄνδρα ἕνα ... τοῦτο νῦν ἐξενίκησεν ἀληθὲς εἶναι, ... τὴν ἴσην τε ἡλίου πορείαν*[1]) *εἶναι καὶ κτῆσιν ὑμετέραν καὶ τὸν ἥλιον διὰ τῆς ὑμετέρας πορεύεσθαι,* paulo aliter apud Lucanum VII 423:

„Haud multum terrae spatium restabat eoae,
ut tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret aether
omniaque errantes stellae Romana viderent."[2])

Senec. epigr. 34, 3:

„Cernite semotos Latia sub lege Britannos!
Sol citra nostrum flectitur imperium."

Minuc. Fel. Octav. 6, 2: „sic imperium suum ultra solis vias ... propagavit."

Quo ex loco rhetorico haec quoque orta sunt: Stat. S. I 1, 94: „dum Romana dies"; Martial. IX 1, 9: „cum sole et astris cumque luce Romana"; Paneg. Lat. IX 18, 3: „(Britannia) ... ad conspectum Romanae lucis emersit"; Paneg. Lat. II 3, 2; VIII 10, 1: „Romana lux."[3])

Atque quemadmodum solis cursu ita caelo quoque allato magnitudo imperii Romani nonnumquam praedicata est. Alexandri enim laudem, quam legimus Anth. Pal. XVI, 120, ubi rex ipse loquitur: *Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι· Ζεῦ, σὺ δ' Ὄλυμπον ἔχε* etiam exaggerantes scriptores, qui imperium Romanum celebrant, haec dicunt: Cicero Catil. III 11, 26: „fines vestri imperii non terrae sed caeli regionibus terminare" idem frg. or. A XIV 4:

---

[1]) Quacum dictione conferas quaeso Cic. Catil. IV 10, 21: „Pompeius, cuius res gestae atque virtutes isdem, quibus solis cursus regionibus ac terminis continentur."

[2]) Similibus verbis Alexandri regnum laudatur Anth. Pal. XVI 121:
ὅς μόνος, ἣν ἐφορῶσιν ἀπ' αἴθερος αἱ Διὸς αὐγαί,
πᾶσαν Πελλαίῳ γῆν ὑπέταξε θρόνῳ;
conferas etiam Rutilium I 81:
„Omnia perpetuos quae servant sidera motus,
(nullum viderunt pulchrius imperium.)"

[3]) Carolus V., imperator Germaniae, qui in regno suo solem non occidere gloriatus esse dicitur, simili quadam exaggeratione declamatoria usus est.

„qui populi Romani imperium non terrarum regionibus, sed caeli partibus terminavit", Mamertinus, qui declamator Ciceronis verba imitatur (Panegyr. Lat. X 10, 1): „vos vero, qui imperium non terrae, sed caeli regionibus terminatis", Panegyr. Lat. VIII 20, 3: „Nihil ex omni terrarum caelique regione non ... est ... domitum aut ... devictum", Herodian. II 11, 4 *οὐδέ τι ἦν γῆς μέρος ἢ κλῖμα οὐρανοῦ ὅπου μὴ Ῥωμαῖοι τὴν ἀρχὴν ἐξέτειναν,*

Ovid. f. I 117, 119:

„Quidquid ubique vides, caelum, mare, nubila, terras:
omnia sunt nostra clausa patentque manu."

Maxime autem omnium eae exaggerationes originem declamatoriam prae se videntur ferre, quibus imperium Romanum usque ad sidera ipsa extendi celebratur. Dicunt enim nonnumquam poetae nescio an Alexandri encomia secuti[1]), in quibus similis laudatio exstat (Aeschin. in Ctes. 165)[2]): *ὁ δ' Ἀλέξανδρος ἔξω τῆς ἄρκτου καὶ τῆς οἰκουμένης ὀλίγου δεῖν πάσης μεθειστήκει,* imperium Romanum ipsa sidera vel polos mundi attingere. Atque hanc imperii laudationem legimus apud:

Vergil. A. VI 795:

„iacet extra sidera tellus,
extra anni solisque vias, ubi caelifer Atlas
axem umero torquet stellis ardentibus aptum."

Ovid f. III 32 (ubi somnium Iliae, matris Romuli, narratur):

„ex illis (sc. palmis) altera maior erat
et gravibus ramis totum protexerat orbem
contigeratque sua sidera summa coma."

---

[1]) Florebat autem haec amplificatio rhetorica iam Herodoti temporibus, qui in gloriam regni Persarum Xerxem haec vertentem fingit (VII 8, γ): *εἰ τούτους (τοὺς Ἕλληνας) ... καταστρεψόμεθα .... γῆν τὴν Περσίδα ἀποδέξομεν τῷ Διὸς αἰθέρι ὁμουρέουσαν. (οὐ γὰρ δὴ χώρην γε οὐδεμίαν κατόψεται ἥλιος ὅμουρον ἐοῦσαν τῇ ἡμετέρῃ.)*

[2]) Quem Aeschinis locum citat Nordenus l. c. Mus. Rhen. 54 (1899) p. 469, ubi de Vergili versibus VI 795 sq. disserit. Idem in commentario adnotat ad Aen. VI 795: „vers 795 streift im Ausdruck hart an die Rhetorik."

Statium S. IV 3, 153 (in Domitiani quidem imperium[1]):

„iuravit tibi iam nivalis Arctus
nunc magnos Oriens dabit triumphos.
ibis qua vagus Hercules et Euhan
ultra sidera flammeumque solem
et Nili caput et nives Atlantis“,

Prudentium in Symm. II 65:

„Tunc tibi non terris tantum victoria parta,
sed super astra etiam media servabitur aede“,

ibidem I 588:

„omnique volentem
cum populo et summis cum civibus ardua magni
iam super astra poli terrenum extendere regnum.“

Dracont. c. prof. 8, 194:

„Troianos regnare placet, qua solis habenae
ostendunt tolluntque diem, qua vertitur axis
frigidus et zona flammatur sole corusco.
Troianis dabitur totus possessio mundus.“

Polos mundi etiam Claudianus amplitudinis imperii laudes canens affert (Prob. Olybr. cos. 127):

(Roma) ... legum genetrix longeque regendo
circumfusa polo consors addicta Tonanti.“

---

[1]) Similiter poetae nonnumquam Romae magnitudinem praedicant, cum imperium ad geminos terrae axes porrigi contendunt, ut Lucan. VII 421:

„Omne tibi bellum gentes dedit omnibus armis:
te geminum Titan procedere vidit in axem.“

Claudian. Stilich. III 138:

„Haec est exiguis quae finibus orta tetendit
in geminos axes.“

Rutil. I 61:

„Quantum vitalis natura tetendit in axes,
tantum virtuti pervia terra tuae.“

Sidon. Apoll. c. 5, 472:

„nam quidquid languidus axis
cardine Sithonio sub Parrhase parturit ursa,
hoc totum tua signa pavet.“

idem b. Goth. 54:

„urbs aequata polo."

Huc quodam modo spectat haec quoque Rutili praedicatio, qua dea Roma celebratur (I 48):

„Inter sidereos Roma recepta polos."

Ex omnibus his, quae perlustravimus, exemplis apparet poetas scriptoresque ad amplitudinem imperii Romani describendam saepissime usos esse locis communibus, qui similiter iam ab Alexandri laudatoribus adhibiti in schola declamatoria expressi videntur fuisse.

b) De administratione imperii.

Sed praeter magnitudinem a scriptoribus imperium Romanum celebrantibus etiam administratio eius crebro laudibus exornata est. Qua in laude locum rhetoricum *ἐπιτηδεύσεων*, de quo pauca adhuc attulimus (cf. supra p. 78 sq.) magni momenti esse intellegemus. Quod enim Menander de hoc *ἀπ' ἐπιτηδεύσεων* loco docet (III 384, 20): *ἐπιτηδεύματα γάρ ἐστιν ἔνδειξις τοῦ ἤθους καὶ τῆς προαιρέσεως τῶν ἀνδρῶν ἄνευ πράξεων ἀγωνιστικῶν. ἐρεῖς οὖν ὅτι πρὸς τοὺς ξένους φιλάνθρωπος, ὅτι πρὸς τὰ συμβόλαια νόμιμος, ὅτι μεθ' ὁμονοίας συνοικοῦσιν ἀλλήλοις, καὶ ὅτι ὁποῖοι πρὸς ἀλλήλους, τοιοῦτοι καὶ πρὸς τοὺς ἔξωθεν,* hoc ad imperii quoque Romani administrationem referri potest.

Romani principes imperii

Atque primum quidem tractemus eas laudationes, quibus Roma vel Romani ut principes tanti imperii elati sunt. Quae laudes saepe brevioribus appositis ornantibus expressae sunt, quas aut ex ipsa declamatorum schola sumptas[1]) esse aut a Vergilio, Horatio, Ovidio aliis fictas vim formulae adeptas et a poetis scriptoribusque recentioribus vicissim usurpatas esse cognoscemus.

Romam igitur a scriptoribus saepissime caput totius orbis appellatam esse, quem laudationis locum paulo uberius tractat Aristides his verbis (61): *ὅπερ δὲ πόλις τοῖς αὐτῆς ὁρίοις καὶ χώραις ἐστίν, τοῦθ' ἥδε ἡ πόλις τῇ πάσῃ οἰκουμένῃ, ὥσπερ αὐτῆς ἄστυ κοινὸν*

---

[1]) Memineris quaeso praeceptorum Hermogenis p. 15, 6 et Nicolai supra (p. 4) allatorum, in quibus *ἐγκώμιον καὶ ἔπαινος* discernuntur.

ἀποδεδειγμένη, breviter attingere satis est.[1]) Similiter Romam etiam dicunt vel „rerum dominam“ vel „dominam“ vel „urbem dominam“, quemadmodum Vergilius[2]) Romanos ipsos „rerum dominos“ dixerit (A I 282), hi auctores: (urbs domina): Ovid. ex Pont. IV 5, 7; am. II 14, 16; Martial. XII 21, 9; III 1, 5; IX 64, 4; Calpurn. ecl. 4, 161; Nemesian. 1, 83; 2, 84; Hieronym. adv. Iovian. II 38. (rerum domina): Ovid. met. XV 447; Ausonius XI 8, 9; (Rutil. II 17: „Italia, rerum domina“); Paneg. Lat. XI 19, 2: „rerum omnium domina“; (Cassiod. var. XI 5, 5: „apud rerum dominos“; id. var. XII 11, 1: „rerum domini“). (Roma domina): Horat. c. IV 14, 44. Verba, quae sunt: „Roma domina“ legimus apud: Martial. X 103, 9; I 3, 3; Claudian. Stilich. II 224; Quintil. decl. IIIb 9 (p. 65, 26 Lehn.): „Romam ... mundi caput et dominam“; Frontin. de aquis 88: „regina et domina orbis“; Ammian. Marc. XIV 6, 6: ... „ut

---

[1]) Quae opinio quam late diffusa fuerit, cognoscas ex poetarum scriptorumque circiter triginta locis in Thesauro ling. Lat. III 426, 29 sqq. collectis, quibus annectimus hos, quos insuper legimus, auctores: Prudent. in Symm. I 496; Rutil. I 194; Venant. Fort. c. VIII 3, 140; ibidem laud. Mariae 281; Hieronym. epist. 130, 5, 2; auct. cosmogr. 56; Ennodius pro syn. 120 (p. 65, 12. Vogel); Firm. Lactant, div. inst. VII 25, 7; Fulgent. prol. 27 (p. 130 C. Migne, Patrolog. 65 (1861); Alcuin. (poet. lat. med. aev. Duemmler.) 21, 5; 45, 63; Mirabil. Rom. 23. (Quod Livius iam anno a. Chr. 218 Hannibalem Romam caput orbis terrarum appellantem facit (XXI 30, 10), hoc nisi exaggeratione rhetorica fieri non poterat).

[2]) Quantopere poetae posteriores hac Romae significatione ex Vergilio pendeant, vel inde apparet, quod permulti eorum vocem, quae est: „domina“ eodem versus pede ponunt atque ille.

„Romanos «rerum» dominos gentemque togatam“: — Vergil A I 282
.... „dominam venietis in urbem“, — Ovid. Pont. IV 5, 7
.... „dominam deduxit in urbem“, — Calpurn. 4, 161
.... „dominam perducat in urbem“, — Nemes. 1, 83
.... „dominam pervenit in urbem“, — id. 2, 84
„Plus sane placeat domina qui natus in urbe“, — Martial. III 1, 5
„Tu desiderium dominae mihi mitius urbis“, — id. XII 21, 9
„Moenia dum colimus dominae pulcherrima Romae“, — id. X 103, 9
„Italiam «rerum» dominam qui cingere visu ...“ — Rutil. II, 17
„. . . . „«rerum» dominam Latiique parentem“. — Auson. XI 8, 9

domina suspicatur et regina"; Paneg. Lat. XI 12, 1: gentium domina Roma[1]); Arnobium II 12; Hieronym. in Isaiam comm. 16, 57, 7: „Roma orbis domina"; Fulgent. aet. mund. e. hom. 42 (p. 169, 19 Helm): „crevit Roma ... et ... domina effecta est mundo"; Iul. Valer. I 26 (p. 36, 10 Kuebl.): „domina omnium gentium Roma"; Ennodium, paneg. Theod. 30 (p. 207, 8): „orbis domina — Roma"; auct. cosmogr. 25: „dominam totius mundi Romam"; Anth. Lat. 12 (Riese) praef. XXXIX 28[2]):

1: „O Roma nobilis, orbis et domina,
Cunctarum urbium excellentissima,
5. Salutem dicimus tibi per omnia,
Te benedicimus: salve per saecula."

neque aliter: Melinno 2: Ῥώμα... δαΐφρων ἄνασσα, auct. carm. Anth. Pal. IX 236, 6: κόσμου παντὸς ἄνασσα πόλις, Martial. IV 64, 11; Claudian. praef. cos. Hon. II[1] 17; Rutil. I 194 (ubi arces vel montes [scil. Romae] domini dicuntur). Similiter etiam dictiones, quibus Romani ipsi ut in illo Vergili versu domini appellantur: Liv. XXXVII 45, 8; Flor. II 26. 14[3]); Iordan. Rom. 245; auct. cosmogr. 1 a.

Deinde Romam poetae scriptoresque posteriores interdum reginam orbis vel urbem regiam (*βασιλεύουσαν*) celebrant[4]) ita: Prudent. in Symm. I 464; Rutil. I 47 (regina pulcherrima); Sidon. Apoll. c. 2, 30; Quintil. decl. III B 2;

---

[1]) Ibidem similiter: X 14, 3; VII 11, 7: „domina gentium; X 1, 4: „domina gentium civitas"; X 2, 2; VIII 10, 3: „Italia gentium domina".

[2]) Quod carmen in codice Vaticano 3227 Ciceronis orationis Philippicae inventum Niebuhrius (Mus. Rhen. III, 1829, p. 1 sq.) extremis imperii temporibus scriptum esse suspicatur; sed Ludovicus Traube (O Roma nobilis, Philologische Untersuchung. aus d. Mittelalter, Abh. d. kgl. bayr. Ak. d. Wiss. philos.-phil. Kl. XIX (1891) 297 sqq.) Romam media quoque aetate caput et dominam orbis appellatam esse demonstrat et hos versus nono demum vel decimo saeculo scriptos esse contendit.

[3]) Idem similiter: „populus victor gentium" (II 1, 2; 2, 3; 20, 7; 34, 61; frg. p. 184, 8 [R.]); cf. Plin. praef. 16: „populus gentium victor", Senec. contr. II 1, 9: „victor omnium gentium populus".

[4]) Eodem modo Goethe poeta noster Romam laudat: Röm. Eleg. 3:
„und Rom nennt sich die Fürstin der Welt".

Frontin. de aq. 88; Ammian. Marc. XIV 6, 6; Paneg. Lat. IV 35, 2: „Roma, tandem arcem te omnium gentium et terrarum esse reginam"; Totius orbis descript. A 55 (geogr. graec. II 525): (Italia) „super hoc maximum possidet bonum, civitatem eminentissimam et regalem, quae dicitur Roma"; Dio LXXV 4: *Ῥώμην καὶ Βασιλίδα καὶ Ἀθάνατον ὀνομάζοντες*, auct. carm. Anth. Pal. IX 647: *Ῥώμη παμβασίλεια*, Euseb. (Heickel, Lps. 1902) vit. Const. I 26: *τὴν τοῦ παντὸς κεφαλήν, τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς τὴν βασιλεύουσαν πόλιν*, idem I 33; 39; III 7; 47; IV 54; 69; Themist. or. III 41 c: *ἐν τῇ βασιλευούσῃ τῶν πόλεων*, idem or. XXIII 98 b: *τὴν μητρόπολιν τὴν ἡμετέραν ... ἡ τῶν ἄλλων πόλεων βασιλεύει*, Iulian. or. I 5 B: *ἡ βασιλεύουσα τῶν ἁπάντων πόλις*; idem IV 131 D; ep. 35, 408 A; 409 C[1]); Eunapius vit. soph. 157: *βασιλεύουσα Ῥώμη*, similiter etiam: I. G. XIV 1107, 1109: *ἐν τῇ βασιλίδι Ῥώμῃ*, de Rossi: Bull. di arch. crist. 1867, 1 (cf. Iordanum l. c. II, p. 144): *ἐ τῇ βασιλευούσῃ Ῥώμῃ*.

Nec modo regina, verum etiam mater vel genetrix dici solet Roma. Quam dicendi rationem ex arte scholastica sumptam esse verisimile est, cum similia in Isocratis panegyrico aliorumque encomiorum locis inveniamus. Legimus enim apud Isocratem or. IV 25: *μόνοις γὰρ ἡμῖν τῶν Ἑλλήνων τὴν αὐτὴν τροφὸν καὶ πατρίδα καὶ μητέρα καλέσαι προσήκει*, apud Platonem Menex. 237 B: *... τρεφομένους οὐχ ὑπὸ μητρυιᾶς ὡς ἄλλοι, ἀλλ' ὑπὸ μητρὸς τῆς χώρας, ἐν ᾗ ᾤκουν*, apud Ps-Lysiam 2, 17 ... *ἀλλ' αὐτόχθονες ὄντες τὴν αὐτὴν ἐκέκτηντο μητέρα καὶ πατρίδα*[2]), apud Ciceronem pro Flacc. 26, 62: (Atheniensium urbs) „eadem .... parens, altrix, patria dicatur".

Sic igitur Roma mater appellatur a Livio V 54, 2 et a Floro II 6, 5, vel totius orbis terrarum mater, altrix, genetrix a Dionysio orb. descript. (geogr. graec. II 124) 355:

---

[1]) cf. B. Keil: Nachr. d. Gött. Ges. d. Wiss. 1913, p. 16 sq., ubi cum hac epistulae dictione componuntur similes inscriptiones.

[2]) cf. Ernestum Pflugmacher: Locorum communium specimen. diss. Gryph. 1909, p. 20, et Schroederum l. c., p. 9.

Ῥώμην τιμήεσσαν, ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων
μητέρα πασάων πολίων, ἀφνειὸν ἔδεθλον[1]),

Aristid. or. XXVI 100; Themist. XIII 180a; Claudian. Stil. III 152. Similiter dicunt: Rutil. I 146; II 60; Coripp. Iust. I 290; Sidon. Apoll. c. 2, 33: „imperii sedes[2]), ... imperii genetrix"; Amm. Marc. XIV 6, 5; Ennod. paneg. Theod. 56 (p. 210, 8); pro syn. 128 (p. 66, 13); (Alcuin. c. 25, 1); I. G. XIV 1108: *ἐν Ῥώμῃ τῇ κοσμοτρόφῳ.*

Qua cum laude cohaeret quod Roma non modo homines, sed etiam deos genuisse aut reges dicitur a Rutil. I 47:

„Exaudi genetrix hominum, genetrixque deorum"

et Priscian. Perieg. 350:

„Romam, quae genetrix regum dominatur in orbem."

Neque his versibus addere dedecet eos locos, quibus Roma virtutum vel legum vel eloquentiae mater dicitur a Iulian or. I 6A: *ἀρετῶν μητέρα*, Cassiod. var. I 32, 1: „mater omnium dignitatum"; Claudian. Prob. Olybr. cos. 127: (Roma) ... legum genetrix"; Cassiod. var. IV 6, 3: „eloquentiae fecunda mater".

Ad postremum hac in enumeratione Romae epithetorum ad populos subactos spectantium ponimus eas laudationes, quibus Romam quasi alterum solem esse et omnibus gentibus lucem ferre exprimitur. Quae dictiones ex fonte rhetorico videntur haustae esse, cum similia de regum laudibus praecepta exstent apud Menandrum III 378, 21: *ὥσπερ νυκτὸς καὶ ζόφου τὰ πάντα κατειληφότος αὐτὸς καθάπερ ἥλιος ὀφθεὶς πάντα ἀθρόως τὰ δυσχερῆ διέλυσας* ..., 381, 17: *νῦν ὥσπερ ἔκ τινος ζόφου προσβλέπειν δοκοῦμεν λευκὴν ἡμέραν.*

Atque tales Romae laudationes exhibent: Cicer. pro imp. 14, 41: „nunc imperii vestri splendor illis gentibus lucem

---

[1]) Dignum est, quod citetur scholion ad hunc Dionysi locum scriptum (geogr. gr. II 444): *πολὺς γίνεται εἰς τὰ ἐγκώμια καὶ τοὺς ἐπαίνους τῆς Ῥώμης. Φησὶ γὰρ αὐτὴν καὶ μητρόπολιν πασῶν πόλεων.*

[2]) Imperii sedes vol domicilium Roma etiam ab his scriptoribus celebratur: Cic. de rep. II 10; leg. agr. I 19; Catil. III 1, 1; Flor. I 1, (7), 9.

afferre coepit", idem Cat. IV 6, 11: „hanc urbem, lucem orbis terrarum atque arcem[1]) omnium gentium"; Plinius XXVII 3 „adeo Romanos velut alteram lucem dedisse rebus humanis videntur"; Hieronym. comm. in Ezech. I prooem.: „clarissimum terrarum omnium lumen"; Firm. Lactant. div. inst. VII 25, 8: „Roma) ... lumen"; Anonym. orb. descr. 231 (geogr. graec. I 205): Ἐν τοῖς ἔθνεσι τούτοις δὲ Ῥώμη 'στὶν πόλις

ἔχουσ' ἐφάμιλλον τῇ δυνάμει καὶ τ' οὔνομα,
ἄστρον[2]) τι κοινὸν τῆς ὅλης οἰκουμένης,
ἐν τῇ Λατίνῃ.

Cassiodor. var. VI 23, 2: „Exeunt a nobis dignitates: relucentes quasi a sole radii, ut in orbis nostri parte resplendeat custodia, iustitia." Similiter etiam Aristid. 103: τάξις πάντων καὶ φῶς λαμπρὸν εἰσῆλθε βίου καὶ πολιτείας, et Flor. frg. p. 184, 9 (Roßbach): „lux et fulgor felicis imperii, qui in se rapit atque convertit omnium oculos hominum ac deorum."

De Romanorum in subiectos clementia

Sed his Romae brevibus laudationibus et appositis ornantibus non contenti poetae et scriptores etiam uberius Romanos propter ingenium facultatemque regnandi celebrant. Crebro autem in urbis encomiis praedicatur maxima laude dignam esse rationem, qua Romani in populos subactos se gerant. Itaque Romam populis victis parcere, leges suas imponere, commune ius et unam patriam dare laudatores non desistunt efferre.

Atque primum quidem de eis locis disseramus, quibus Romanorum in gentes subactos clementia praedicatur. Tales laudationes in ipsis studiis scholasticis exercitatas esse[3]) apparet ex

---

[1]) Arcem omnium gentium Romam appellant etiam Paneg. Lat. IV 35, 2 et Cicero Verr. V 48, 126 „hic locus est unus, quo perfugiant (socii); hic portus, haec arx, haec ara sociorum"; similiter Menander Athenas ὥσπερ τῆς ὅλης χώρας ἀκρόπολιν laudari vult (III 388, 4).

[2]) cf. Menand. 381, 7: προσαπηντήκαμεν σοὶ ἅπαντες ... 12. ἀστέρα φανώτατον ὀνομάζοντες.

[3]) Guilelmus Pohlschmidt: Quaestiones Themistianae, diss. 1908 p. 67 sq. nonnulla talia encomia Themistii et Panegyricorum Latinorum collegit.

Menandri praeceptis (III 374, 27): *ἐρεῖς τι καὶ περὶ τρίτης ἀρετῆς, λέγω δὴ τῆς φιλανθρωπίας· μόριον δὲ τῆς φιλανθρωπίας ἡ δικαιοσύνη, ὅτι νικήσας ὁ βασιλεὺς οὐ τοῖς ὁμοίοις ἠμύνατο τοὺς προάρξαντας ἀδίκων ἔργων, ἀλλ' ἐμέρισε κατὰ τὸ δίκαιον τὰς πράξεις τιμωρίᾳ καὶ φιλανθρωπίᾳ, καὶ ὅσα ἡγεῖτο πρὸς σωφρονισμὸν ἀρκεῖν ἐργασάμενος, κἀνταῦθα στήσας φιλανθρωπίᾳ τὰς πράξεις ἀνῆκε συγχωρήσας τὸ λείψανον τοῦ γένους σώζεσθαι ἅμα μέν, ἵνα μνημεῖον τοῦ πάθους τοῦ γεγονότος σώζηται τὸ λειπόμενον, ἅμα δέ, ἵνα καὶ τὴν φιλανθρωπίαν ἐνδείξηται,* .... 375, 8 *καὶ ἐν μὲν τῇ δικαιοσύνῃ τὸ ἥμερον τὸ πρὸς τοὺς ὑπηκόους ἐπαινέσεις.* Sic Roma ipsa celebratur a Vergilio A. VI 851:

„Tu regere imperio populos, Romane, memento
haec tibi erunt artes: pacisque imponere morem,
parcere subiectis et debellare superbos“[1]),

quem poetam tamquam signiferum secuti eandem sententiam proferunt:

Claudian. b. Gild. 97:

(populus Romanus): „quem semper, in armis
horribilem, gentes, placidum sensere subactae.“

Rutil. I 71:

„Hinc tibi certandi bona parcendique voluptas
quos timuit superat, quos superavit amat.“

Coripp. Iust. III 330:

„Pacem diligimus, numquam fera bella timemus.
pax est subiectis, pereunt per bella superbi.
parcimus innocuis, sonti non parcimus ulli“

ibidem Ioh. VIII 461:

„Romanum imperium, gentes quascumque fideles
subiectasque videt, cives putat esse Latinos.
hac pietate placens totum sibi subdidit orbem,
dum relevat virtute humiles humilatque rebelles“.

---

[1]) Similem antithesin iam in Euripidis tragoediis legimus, cf. Med. 809: *βαρεῖαν ἐχθροῖς καὶ φίλοισιν εὐμενῆ,* Herc. 585/6, Hec. 844/5, Ps. Lys. II 14: *τοὺς μὲν ἀδικουμένους ἐλεοῦντες, τοὺς δ' ὑβρίζοντας μισοῦντες.* (cf. O. Schroeder l. c. p. 37, 1.)

similiter de Augusto quidem:

Priscian. 1, 130:

„Sed tamen Augusti superat clementia cuncta,
qui stratos relevat, domuit quos Morte superbos,
hostibus et pacis concedit munera pacis."

Eadem Romanorum laudatio obviam fit etiam apud Tacitum A. II 10: „Exin diversi ordiuntur, hic magnitudinem Romanam, ... et victis graves poenas, in deditionem venienti paratam clementiam" et Augustinum, qui illum Vergili versum citans haec dicit (de civ. dei I 6): „De (Romanorum) praecipua laude dictum est: „Parcere subiectis et debellare superbos[1])."

Eandem fere sententiam atque Vergilius, cum et virtutem bellicam et clementiam Romanis laudi tribuant, exhibent:

Horat. c. saec. 51:

„bellante prior, iacentem
lenis in hostem",

Propert. III 22, 21:

„Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
stamus: victrices temperat ira manus."

Panegyr. Lat. VIII 20, 3: „Nihil ... non aut metu quietum est aut armis domitum aut pietate devinctum"; Aristid. 66: *τὸ πρόσθεν δοκοῦν οὐ δυνατὸν εἶναι συμβῆναι συνῆλθεν ἐφ' ὑμῶν, κράτος ἀρχῆς ἅμα καὶ φιλανθρωπίας* (similiter ibidem 57—58).

Hanc vero Romanorum in subactos clementiam scriptores etiam victoriis ipsis anteponunt, ut Livius XXX 42, 17: (populum Romanum) „plus paene parcendo victis quam vincendo imperium auxisse", idem XXXIII 12, 7: „Romanos praeter vetustissimum morem victis parcendi praecipuum clementiae documentum dedisse pace Hannibali . . . data"[2]), laudantque eandem Ovid. f. II 143:

---

[1]) Similia verba Livius Quinctium apud Graecos facientem fingit (XXXIII 12, 9): „cum armato hoste infestis animis concurri debere; adversus victos mitissinum quemque animum maximum haberi."

[2]) Idem scriptor *τὴν πρὸς τοὺς ὑπηκόους φιλανθρωπίαν* (Men. III 416, 5) laudat (XXVI 49, 8): (populum Romanum) „qui beneficio quam metu obligare

(in Augustum) ... „veniam dedit hostibus ille"; idem am. I 2, 52:

„qua vicit, victos protegit ille manu."

Propert. II 16, 42:

„Illa, qua vicit, condidit arma manu."

Rutil. I 69:

„Mitigat armatas victrix clementia vires." (cf. Statium S. III 3, 168—71).

Deinde a poetis saepe laudatur, quod Romani de gentibus, quibus pepercerint, bene meriti sunt legibus suis impositis. Populum enim Romanum ceteris omnibus gentibus excellere legibus suis summum gloriae argumentum videtur fuisse, quod in schola excultum esse elucet ex his verbis Menandri III 369, 30: *εἰ νόμιμον, ὡς τὸ Ἰταλικὸν* (sc. laudanda urbs est). Atque Romam, quam Claudianus „legum genetricem" (Prob. Olybr. cos. 127) vel „legum parentem" (Stilich. III 136) et Sidonius Apollinaris „domicilium legum" (ep. I 6, 2) vocant, legibus suis totum orbem terrarum domuisse vel omnibus gentibus iura dedisse vel similes sententias his invenimus locis:

Vergil. A. IV 231:

... „ac totum sub leges mitteret orbem",

Horat. c. III 3, 43:

„triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis",

Ovid. f. I 515:

„fallor, an hi fient ingentia moenia colles,
iuraque ab hac terra cetera terra petet?"

Propert. IV 4, 11:

... „ubi nunc terris dicuntur iura subactis",

---

homines malit; exterasque gentes fide ac societate iunctas habere, quam tristi subiectas servitio", (XXXIX 25, 15): „populum Romanum, qui caritate quam metu adiungere sibi socios mallet" (cf. XXII 13, 11).

Similiter iam Isocrates Athenienses laudaverat (or. IV 80): *καὶ σωτῆρες ἀλλὰ μὴ λυμεῶνες (ἐπιθυμοῦντες) ἀποκαλεῖσθαι τῷ ποιεῖν εὖ προσαγόμενοι τὰς πόλεις, ἀλλ' οὐ βίᾳ καταστρεφόμενοι.*

Manil. II 817:

„reddere iura foro, componere legibus orbem
foederibusque suis externos iungere gentes“,

Claudian. b. Gild. I 47:

„... domui terras urbesque revinxi

legibus,

ibidem Stilich. III 136:

„Armorum legumque parens quae fundit in omnes
imperium primique dedit cunabula iuris“,

Prudent. in S. I 455:

„At te, quae domitis leges ac iura dedisti
gentibus, instituens, magnus qua tenditur orbis,
armorum morumque feros mansuescere ritus“,

Rutil. I 77:

„Tu quoque legiferis mundum complexa triumphis.“

Plin. XXXVI 118 ... „ille (populus) ... totius domitor orbis, qui ... iura exteris mittit“; Iordanis Rom. 6: „Romani ... armis et legibus exercentes orbem terrae suum fecerunt: armis si quidem construxerunt, legibus autem conservaverunt.“ Afferre denique licet Ammian. Marc. XIV 6, 5: „ideo urbs venerabilis, post superbas efferatarum gentium cervices oppressas, latasque leges, fundamenta libertatis et retinacula sempiterna, (... Caesaribus ... regenda patrimonii iura permisit)“ et Symmachum epist. X 3, 9: (Roma loquitur!) „vivam meo iure, quia libera sum! hic cultus in leges meas orbem redegit“.

Atque Roma cum omnibus populis victis leges suas dat, hos in idem ius et in civitatem suam recipit, id quod praedicant: Livius, qui Camillum senatum interrogantem facit (VIII 13, 16): „Vultis exemplo maiorum augere rem Romanam victos in civitatem accipiendo?“, Claudian. Stilich. III 150:

„Haec est in gremium victos quae sola recepit“,

Libanius pro templis 390[1]): ... *τοῖς ἡττημένοις .... πολιτείας τῆς αὐτῶν μεταδόντες.*

Similia autem etiam ei scriptores exhibent, qui omnibus terrarum gentibus idem atque commune ius esse dicunt. Quam laudationem ipsam quoque in schola usitatam fuisse verisimile est, quod Athenienses ab eodem loco celebrantur ab Isocrate or. IV. 104: *τοῖς αὐτοῖς νόμοις ἁπάσας τὰς πόλεις διῳκοῦμεν, συμμαχικῶς ἀλλ' οὐ δεσποτικῶς βουλευόμενοι περὶ αὐτῶν (τῶν συμμάχων)* et simile praeceptum exstat Menandri III 363, 8: *τοῖς δ' ἔθεσιν ἴσοις καὶ κοινοῖς καὶ τοῖς νόμοις χρῷντο δικαίοις.*

Hoc igitur modo imperium Romanum laudibus efferunt Aristides 102: *οὐδέ γε δεῖ νῦν περιήγησιν γῆς γράφειν οὐδ' οἷς ἕκαστοι χρῶνται νόμοις ἀπαριθμεῖν, ἀλλ' ὑμεῖς ... νόμους τε κοινοὺς ἅπασι τάξαντες .. γάμους τε κοινοὺς ποιήσαντες καὶ συντάξαντες ὥσπερ ἕνα οἶκον ἅπασαν τὴν οἰκουμένην,* Prudent. in Symm. II 608:

„Ius fecit commune pares, et nomine eodem
nexuit et domitos fraterna in vincla redegit.
Vivitur omnigenis in partibus, hand secus ac si
cives congenitos concludat moenibus unis
urbs patria atque omnes lare conciliemur avito.
Distantes regione plagae divisaque ponto
littora conveniunt nunc per vadimonia ad unum
et commune forum[2]), nunc per commercia et artes,
ad coetum celebrem, nunc per genialia fulcra
externi ad ius conubii: nam sanguine mixto
texitur alternis ex gentibus una propago."

Rutilius I 65; 78:

„Dumque offers victis proprii consortia iuris."
78 „Foedere communi vivere cuncta facis."

Eandem legum communitatem ita exponunt, ut in imperio Romano omnes cives, nullos externos esse dicant: Aristid. 60:

---

[1]) Hunc locum affert Carolus Pascal l. c. p. 10, 1.

[2]) Similiter Aristides 60: *καὶ πάντες ὥσπερ εἰς κοινὴν ἀγορὰν συνίασι,*

καὶ οὔτε θάλαττα διείργει τὸ μὴ εἶναι πολίτην οὔτε πλῆθος τῆς ἐν μέσῳ χώρας ... ξένος δ' οὐδεὶς ὅστις ἀρχῆς ἢ πίστεως ἄξιος, idem uberius (63): *καὶ τὸ 'Ρωμαῖον εἶναι ἐποιήσατε οὐ πόλεως, ἀλλὰ γένους ὄνομα κοινοῦ τινος, καὶ τούτου οὐχ ἑνὸς τῶν πάντων, ἀλλ' ἀντιρρόπου πᾶσι τοῖς λοιποῖς. οὐ γὰρ εἰς Ἕλληνας καὶ βαρβάρους διαιρεῖτε νῦν τὰ γένη ... ἀλλ' εἰς 'Ρωμαίους τε καὶ οὐ 'Ρωμαίους ἀντιδιείλετε· ἐπὶ τοσοῦτον ἐξηγάγετε τὸ τῆς πόλεως ὄνομα*,

Prudentius in Symm. II 604:

„Romanosque omnes fieri, quos Rhenus et Ister,
quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Hiberus,
corniger Hesperidum quos interlabitur, et quos
Ganges alit tepidique lavant septem ostia Nili“,

Claudian. Stilich. III 151:

„Humanumque genus communi nomine fovit
matris, non dominae ritu civesque vocavit
quos domuit nexuque pio longinqua revinxit.
Huius pacificis debemus moribus omnes ....
159 quod cuncti gens una sumus.“

Rutilius I 13:

„Relligiosa patet peregrinae curia laudi,
nec putat externos, quos decet esse suos.“

Nec Sidonius hoc argumentum praeterit (epist. I 6, 2): „patriam libertatis, in qua unica totius orbis civitate soli barbari et servi peregrinantur.“

Cum autem omnes fere totius orbis incolae cives unius maximi imperii sint, hoc imperium communis quoque omnium gentium patria habendum est. Quam sententiam cum etiam in Isocratis Atheniensium encomio legamus, qui laudantur, quod (52) *ἅπαντα τὸν χρόνον διετέλεσαν κοινὴν τὴν πόλιν παρέχοντες* (conferas quoque Thucyd. II 39, 1: *τήν τε γὰρ πόλιν κοινὴν παρέχομεν, καὶ οὐκ ἔστιν ὅτε ξενηλασίαις ἀπείργομέν τινα*) et similia proferat Menander III 385, 32: *κοινόν ἐστι συνέδριον καὶ βουλευτήριον τοῦ κοινοῦ γένους ἡ ἡμετέρα πόλις*, originem decla-

matoriam habere verisimile est. Sententiam autem illam exhibent: Rutilius I 63:

„Fecisti patriam diversis gentibus unam“,

Plinius N. H. III 39: „(Italia) ... sparsa congregaret imperia ... breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret“, Aristid. 101: καὶ τὸ Ὁμήρῳ λεχθὲν ‛γαία δὲ τοι ξυνὴ πάντων’ ὑμεῖς ἔργῳ ἐποιήσατε, vel (30): ὥσπερ μία χώρα συνεχὴς καὶ ἓν φῦλον ἅπαντα ὑπακούει σιωπῇ, Hieronym. comm. in Daniel. 7, 7: dum in uno imperio Romanorum omnia simul regna cognoscimus, quae prius fuerant separata“, idem in Isaiam comm. V 19, 23: „Ante adventum Christi unaquaeque gens suum habebat regem et de alia ad aliam nullus ire poterat nationem: in Romano autem imperio unum facta sunt omnia.“

Brevissime autem idem exprimitur his urbis epithetis Dionys. Hal. ant. I 89, 1: Ῥώμην ... κοινοτάτην τε πόλεων καὶ φιλανθρωποτάτην, Senec. ad Helv. 6, 3: „hac civitate ... quae veluti communis potest dici.“

Hoc autem omnium commune imperium, quod eodem quo urbs regitur iure, nonnumquam cum urbe ipsa comparatur; quam laudem legimus apud Rutilium I 66: „urbem fecisti, quod prius orbis erat[1]), et apud Aristidem 36: ὥσπερ οἱ ἐν ταῖς κατὰ μίαν πόλεσιν, οὕτω καὶ ὑμεῖς ὥσπερ ἐν μιᾷ πόλει πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ

---

[1]) Qui poeta hoc versu vocibus quae sunt: „urbem“ et „orbem“ similiter sonantibus sequitur dicendi rationem, quae apud poetas et scriptores saepe occurrit. Nam iam Ovidi ad hunc usum spectant versus, qui ad laudem Romae pertinent (f. II 683):

„Gentibus est aliis tellus data limine certo:
Romanae spatium est urbis et orbis idem.“

De hac loquendi ratione disseruerunt Otto: Sprichwörter der Römer, p. 358, 1834, et accuratius Woelfflin: Arch. f. lat. Lex. I, 388. Quam in proverbii consuetudinem venisse apparet ex versu Sidoni Apoll. c. 7, 556: „captivus, ut aiunt, orbis in urbe iacet“. Locis autem a Woelfflino collectis (Ovid. art. I 174; Nepot. Attic. 20, 5; Vellei. II 44, 1; Coripp Iust. I 81; Anth. lat. 863, 4; Venant. Fortun. c. VIII 1, 14; Tertullian. de an. 1; apol. 40; Le Blant Inscr. Gall 23) ut cognoscas quam late haec paronomasia rhetorica pervagata sit, addere liceat hos, quos invenimus, locos: Ciceron. Cat. I 4, 9: „qui de huius urbis atque adeo de orbis terrarum exitio cogitent“,

πεπολιτευομένοι ... (65): *διὰ γὰρ τὸ κοινὴν εἶναι τὴν πολιτείαν καὶ οἷον πόλεως μιᾶς, εἰκότως οὐχ ὡς ἀλλοτρίων, ἀλλ' ὡς οἰκείων οἱ ἄρχοντες ἄρχουσιν.*

c) De emolumentis imperii.

Sed haec de administratione imperii Romani. Atqui his in argumentis scriptores saepe inter se consentire praesertim in laudationibus, quae commune omnium ius eandemque patriam attingunt, intelleximus; quas omnes, quod in unaquaque fere singulos vel complures Aristidis locos comparare licet, ex doctrina artis scholasticae sumptas esse verisimile videtur.

Huic autem imperio Romano, quod tam iuste et moderate administratur, omnes totius orbis gentes mansuete oboedientes sunt — id quod laudibus effert Aristides 67—69 (68: *ἄρχειν μὲν γὰρ οἷς μὴ δύναμις οὐ σωτήριον, ἄρχεσθαι δ' ὑπὸ τῶν κρειττόνων δεύτερος, φασι, πλοῦς, ὑπὸ δὲ ὑμῶν νῦν καὶ πρῶτος ἀπεφάνθη* ... 69 ... *οἱ μὲν ... ἥδιστα ἡσυχάζουσιν ... οἱ δ' οὐδ' ἣν ποτε ἦρξαν ἴσασιν)* — ac libenter dominae suae tributa conferunt, cuius rei laudator est **Romani omnium terrarum bonis fruuntur**

Cat. IV 6, 11: „hanc urbem, lucem orbis terrarum", Hieronym. com. in Ezech. I prooem.: „et, ut verius dicam, in una Urbe totus orbis interiit", ib. epist. 130, 5, 2: „urbs tua, quondam orbis caput", Solin. praef. 7: „nos quoque a capite orbis, id est ab urbe Roma principium capessemus", Oros. I 1, 14 „Dicturus igitur ab orbe condito usque ad urbem conditam, dehinc usque ad Caesaris principatum nativitatemque Christi ex quo sub potestate urbis orbis mansit imperium ... expediam", I 21, 21: „ab orbe condito usque ad urbem conditam", II 5, 10: „quod poeta praecipuus in una urbe descripsit, ego de toto orbe dixerim", Ennod. pro syn. 128: „orbis parentem, urbem vestram", Coripp. Iust. III 79: „spes urbis et orbis" (eiusdem carminis versus I 181; 250 affert Zumptius ad Rutil. I 66), carm. Tit. saec. 8 (Duemmler. l. c. p. 113, 14):

„Doctrinis, opibus, muris exerexerat arces
Urbis et orbis honos, inclyta Roma, tuas".

Medio ipso aevo eadem dictione Papae in episcopatum introducebantur. Nam caeremoniale Romanum editum iussu Gregorii X, p. 222 haec verba tradit: „Investio te de Papatu Romano, ut praesis urbi et orbi." (cf. Buechmann: „Geflügelte Worte XIII, p. 467, Berol. 1907); et nescio an abbas Berthari Montecassinensis (IX. saec.) meminerit huius dicendi rationis, cum caneret; „Tu studiis orbis dominam fugis urbem" (Mabillon A. S. S. saec. I, p. 30).

Callinicus Petraeus, cum declamat (Frg. H. Gr. III 663 Mueller): *Ἡ δὲ τῶν φόρων σύνταξις οὐθ' ἡμετέρα πλεονεξία γίγνεται, οὔτε τῶν διδόντων ζημία, ἀλλ' εἰς τὸ μάχιμον γένος δαπανωμένη, δι' ἐκείνων πάλιν εἰς τοὺς διδόντας ἐπάνεισιν, ὥστε δανείσμασι προσεοικέναι τὸ διδόμενον μᾶλλον ἢ φόρων ἐπαγωγῇ.* Quantam autem utilitatem capiat Roma ab his populis, quia omnium provinciarum fructus et bona in urbem transportentur, poetae et declamatores crebro et amplissimis verbis explanant.

Hanc quoque Romae laudandae rationem a schola declamatoria profectam esse censemus, quod Athenae ipsae quoque ab eodem loco celebratae sint et a Thucydide II 38, 2 *ἐπεσέρχεται δὲ διὰ μέγεθος τῆς πόλεως ἐκ πάσης γῆς τὰ πάντα, καὶ ξυμβαίνει ἡμῖν μηδὲν οἰκειοτέρᾳ τῇ ἀπολαύσει τὰ αὐτοῦ ἀγαθὰ γιγνόμενα καρποῦσθαι ἢ καὶ τὰ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων*, et ab Isocrate or. IV 42: *ἐμπόριον γὰρ ἐν μέσῳ τῆς Ἑλλάδος τὸν Πειραιᾶ κατεσκευάσατο, τοσαύτην ἔχονθ' ὑπερβολήν, ὥσθ' ἃ παρὰ τῶν ἄλλων ἓν παρ' ἑκάστων χαλεπόν ἐστι λαβεῖν, ταῦθ' ἅπαντα παρ' αὐτῆς ῥᾴδιον εἶναι πορίσασθαι* ... 45 *τὸ πλῆθος τῶν εἰσαφικνουμένων ὡς ἡμᾶς τοσοῦτόν ἐστιν, ὥστ' εἴ τι ἐν τῷ πλησιάζειν ἀλλήλοις ἀγαθόν ἐστι, καὶ τοῦθ' ὑπ' αὐτῆς περιειλῆφθαι* et similia praecepta rhetorica exstent apud Dionysium Hal. art. rhet. 5, 5: *καὶ ἐντεῦθεν ὁ ἔπαινος ὁ περὶ τῆς πόλεως ... περὶ δυνάμεως τῆς ἐν ταῖς προσόδοις ... περὶ χώρας τῆς ὑποτελοῦς, ἀφ' ἧς ἡ πρόσοδος· εἰ ... πολλὴ εἴη, εἰς ἰσχὺν τῆς πόλεως ἀναφέροντα* et apud Menandrum III 377, 22: *θαλάσσης φοραὶ καὶ καρπῶν εὐφορίαι διὰ τὴν τοῦ βασιλέως δικαιοσύνην ἡμῖν εὐτυχοῦνται* ... 384, 15: *τὸν περὶ τῆς ἀνατροφῆς (λόγον) θήσεις ... ἐπαίνεσον τὰ ἔθη,* ... 386, 24: *τὰ ἐκ τῆς θαλάττης ἐπεισαγόμενα ἀγαθά* (in urbium encomiis praedicanda sunt).

Hunc igitur panegyrici locum, quem laudatores multis verbis vel versibus tractare solent, suum in usum convertit Aristides 11: *ἄγεται δὲ ἐκ πάσης γῆς καὶ θαλάττης ὅσα ὧραι φύουσιν καὶ ... λίμναι καὶ τέχναι Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων· ὥστε εἴ τις ταῦτα πάντα ἐπιδεῖν βούλοιτο, δεῖ αὐτὸν ἢ πᾶσαν ἐπελθόντα τὴν οἰκουμένην οὕτω θεάσασθαι*

ἢ ἐν τῇδε τῇ πόλει γενόμενον· ὅσα γὰρ παρ' ἑκάστοις φύεται καὶ κατασκευάζεται, οὐκ ἔστιν ὡς οὐκ ἐνταῦθα ἀεὶ καὶ περιττεύει ... ὥστ' ἐοικέναι τὴν πόλιν κοινῷ τινι ... ἐργαστηρίῳ ... 12. Sequitur enumeratio omnium populorum, qui terrae suae fruges Romam transportant: *φόρτους μὲν ἀπ' Ἰνδῶν ... καὶ τῶν ... Ἀράβων ... ἐσθῆτας δὲ αὖ Βαβυλωνίους ... γεωργίαι δὲ ὑμῶν Αἴγυπτος, Σικελία, Λιβύης ὅσον ἥμερον.* 13 ... *πάντα ἐνταῦθα συμπίπτει, εὐπορίαι ναυτιλίαι γεωργίαι μετάλλων καθάρσεις, τέχναι ὁπόσαι εἰσί τε καὶ γεγένηνται, πάντα ὅσα γεννᾶται καὶ φύεται.* Similia occurrunt apud Claudian. Pan. Theod. 38:

„Hinc sacrae mandantur opes orbisque tributa
possessi, quidquid fluviis evolvitur auri,
quidquid luce procul venas rimata sequaces
abdita pallentis fodit sollertia Bessi."

ibidem in Eutrop. I 401, ubi Roma dicit:

„Quae suscepta fames, quantum discriminis, urbi,
ni tua vel soceri numquam non provida virtus
Australem Arctois pensasset frugibus annum.
Invectae Rhodani Tiberina per ostia classes
cinyphiisque ferax Araris successit aristis.
Teutonicus vomer Pyrenaeique invenci
sudavere mihi; segetes mirantur Hiberas
horrea; nec Libyae senserunt damna rebellis
iam transalpina contenti messe Quirites"

(cf. eiusdem b. Gild. I 52—59). Sidon. Apoll. c. 5, 40:

„Ergo ut se mediam solio dedit (sc. Roma), advolat omnis
terra simul. tum quaeque suos provincia fructus
exposuit: fert Indus ebur, Chaldaeus amomum,
Assyrius gemmas, Ser vellera, tura Sabaeus,
Atthis mel, Phoenix palmas, Lacedaemon olivum,
Arcas equos, Epirus equas, pecuaria Gallus,
arma Chalybs, frumenta Libys, Campanus Iacchum,
aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham,

Pontus castorea, blattam Tyrus, aera Corinthus;
Sardinia argentum, naves Hispania defert ..."

ibidem c. 2, 50:

„Interea te Susa tremunt ac supplice cultu
flectit Achaemenius lunatum Persa tiaram. .
Indus odorifero crinem madefactus amomo
in tua lucra feris exarmat guttur alumnis,
ut pandum dependat ebur; sic trunca reportat
Bosphoreis elefas inglorius ora tributis."

Conferri possunt etiam Stat. S. III 3, 86—98, ubi reditus totius orbis iam uni magistratui commissi enumerantur,

et Coripp. Iust. III 85—104, quos versus omnes afferre longum est.

Tributum frumentarium significant porro

Prudent. in Symm. II 951:

„Quantos quaeque ferat fructus provincia, quamque
ubere fecundo large fluat orbis opimus,
indicio est annona, tuae quae publica plebi,
Roma, datur, tantaeque manus loga otia pascit."

et Rutilius I 143:

„Ditia pacatae dent vectigalia terrae,
impleat augustos barbara praeda sinus.
Aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet,
altricemque suam fertilis orbis alat.
Quin et fecundas tibi conferat Africa messes."

Neque abest ab hac laude Plutarch. de fort. Rom. 325 E: ... *ὅσα γῆ φέρει καὶ θάλαττα καὶ νῆσοι καὶ ἤπειροι καὶ ποταμοὶ καὶ δένδρα καὶ ζῷα καὶ πεδία καὶ ὄρη καὶ μέταλλα ... χάριτι κοσμούσῃ τὸν τόπον* (sc. *Ῥώμην*). Similiter denique Themistius extremas gentes Romam colentes facit or. XIII 180 a: *Ῥῆνος δὲ οὐ κωλύσει, οὐδὲ Τίγρης οὐδὲ Εὐφράτης, ἀλλὰ πέμψουσιν ἐπανιόντας ὡς τὴν μητέρα στεφανώσαντας καὶ ταινιώσαντας· ἡ δὲ χαίρει δεξαμένη παῖδας ἀγαπητοὺς καὶ πολυεύκτους, φέροντας μὲν βροτόεντα ἔναρα, φέροντας δὲ καὶ ἁγιώτερα τρό-*

παια πραότητος καὶ φιλανθρωπίας, ἄσυλα καὶ ἱερὰ καὶ ἀναίμακτα καὶ πρέποντα ἀτεχνῶς τοῖς Διὸς ἀναθήμασι[1]).

Sed quemadmodum Roma ipsa ex hoc omnium gentium subactarum commercio et tributis utilitatem et fructum capit, ita etiam populi emolumentis et muneribus pacis fruuntur, quam totus orbis terrarum huic *ἑστίᾳ ἱερᾷ καὶ ἀνησιδώρᾳ καὶ πείσματι μονίμῳ καὶ στοιχείῳ αἰδίῳ* (Plut. fort. Rom. 316F) debet[2]). Itaque etiam propter bona et commoda pacis imperium Romanum nonnumquam celebratur. Quae laus plane ex usu rhetorum exorta est; nam cum Priscianus praeex. rhet. 29 (p. 558, 31) descriptiones pacis commendat tum Menander accurata de hoc laudationis loco praecepta dat (III 377, 10): *ἐν τούτοις (τοῖς ἐπιλόγοις) ἐρεῖς τὰς εὐετηρίας, τὰς εὐδαιμονίας τῶν πόλεων, ὅτι πλήρεις μὲν ὠνίων αἱ ἀγοραί, πλήρεις δ' ἑορτῶν καὶ πανηγύρεων αἱ πόλεις, γεωργεῖται μετ' εἰρήνης ἡ γῆ, πλεῖται ἡ θάλασσα ἀκινδύνως, εὐσέβεια δὲ ἡ περὶ τὸ θεῖον ηὔξηται.*

Populi subiecti commodis pacis fruuntur

Atque quod naves in tuto sunt, *(πλεῖται ἡ θάλασσα ἀκινδύνως)* laudibus tollunt Horat. c. IV 5, 19:

„pacatum volitant per mare navitae“,

et Priscian. 1, 186 (P.L.M. vol. V p. 270):

„Nunc tuto nautae repetunt clusa ostia velis,
qui dubio quondam peiora pericula ponto
iam patrias oras tolerabant nave tenentes.“

De terra autem idem argumentum probatum invenimus apud Claudian. Stilich. III 154:

„Huius pacificis debemus moribus omnes
quod veluti patriis regionibus utitur hospes;

---

1) Haec populorum tributa imperatoris in gloriam vertunt Vopiscus, vita Probi 15 (script. hist. Aug. II p. 195, 18, Iordan.): „Omnes iam barbari vobis arant, vobis iam serunt“, et uberrime Plin. paneg. Traian. 29 (Paneg. Lat. I, 29.) Quibus de variis Romae commerciis disserit Wiskemann: „Die antike Landwirtschaft und das v. Thünensche Gesetz“, p. 54 sqq.

2) cf. L. Friedlaender, Sittengeschichte II[8] (1910), p. 4: „Niemals weder vorher noch nachher hat unsere Hemisphäre einen Frieden von so langer Dauer auf einem so großen Gebiet genossen.“

quod sedem mutare licet; quod cernere Thylen
lusus et horrendos quondam penetrare recessus."

et apud Tertullian. de anim. 30 (p. 350, 1 Hartel-Wissowa): „certe quidem ipse orbis in promptu est cultior de die[1] ... omnia iam pervia, omnia nota, omnia negotiosa, solitudines famosas retro fundi amoenissimi oblitteraverunt, silvas arva domuerunt, feras pecora fugaverunt, harenae seruntur, saxa panduntur, paludes eliquantur, tantae urbes quantae non casae quondam. iam nec insulae horrent, nec scopuli terrent; ubique domus, ubique ... res publica." Neque aliter Aristides, qui rhetor amplissimis verbis depingit hoc pacis bonum (100): *νῦν γοῦν ἔξεστι καὶ Ἕλληνι καὶ βαρβάρῳ καὶ τὰ αὑτοῦ κομίζοντι καὶ χωρὶς τῶν αὑτο ῦ βαδίζειν ὅποι βούλεται ῥᾳδίως, ἀτεχνῶς ὡς ἐκ πατρίδος εἰς πατρίδα ἰόντι· καὶ οὔτε Πύλαι Κιλίκιοι φόβον παρέχουσιν οὔτε στεναὶ καὶ ψαμμώδεις δι' Ἀράβων ἐπ' Αἴγυπτον πάροδοι, οὐκ ὄρη δύσβατα, οὐ ποταμῶν ἄπειρα μεγέθη, οὐ γένη βαρβάρων ἄμικτα, ἀλλ' εἰς ἀσφάλειαν ἐξαρκεῖ Ῥωμαῖον εἶναι* ... 101. *ὑμεῖς ... ζεύξαντες δὲ παντοδαπαῖς γεφύραις ποταμούς, καὶ ὄρη κόψαντες ἱππήλατον γῆν εἶναι, σταθμοῖς τε τὰ ἔρημα ἀναπλήσαντες καὶ διαίτῃ καὶ τάξει πάντα ἡμερώσαντες*[2]).

Simili sententia usi sunt et Plinius N. H. XIV 2: „quis enim non communicato orbe terrarum maiestate Romani imperii profecisse vitam putet commercio rerum ac societate festae pacis omniaque, etiam quae ante occulta fuerant, in promiscuo usu facta?" et (de impera-

---

[1]) Similem pacis Romanae descriptionem invenimus in Ps. Aristid. or. *εἰς βασιλέα* 37: *οὐ πᾶσα μὲν ἄδεια πᾶσιν* <*βαδίζειν*> *ὅποι βούλεταί τις, πάντες δὲ πανταχοῦ λιμένες ἐνεργοί; οὐ τὰ μὲν ὄρη τὴν αὐτὴν ἔχει τοῖς ὁδεύουσιν ἥνπαρ αἱ πόλεις τοῖς οἰκοῦσιν αὐτὰς ἀσφάλειαν ... ποῖοι μὲν γὰρ πόροι ποταμῶν κεκώλυνται διελθεῖν, τίνες δὲ θαλάττης ἀποκέκλεινται πορθμοί;* et in Epictet. diss. III 13, 9: *ὁρᾶτε γὰρ ὅτι εἰρήνην μεγάλην ὁ Καῖσαρ ἡμῖν δοκεῖ παρέχειν ... ἔξεστιν πάσῃ ὥρᾳ ὁδεύειν, πλεῖν ἀπ' ἀνατολῶν ἐπὶ δυσμάς.*

[2]) Idem scriptor similem pacis laudem exhibet (de pall. 2, 9; II, p. 1036 Patrol.): „Revera orbis cultissimum huius imperii rus est eradicato omni aconito hostilitatis ... quantum urbium aut produxit aut auxit ... praesentis imperii ... virtus."

tore quidem) Themist. VI 75 B: *καὶ λαβὼν τὴν ἁλουργίδα ἀντιδέδωκας ... καὶ δημηγορεῖν ἅμα ἐν τοῖς μακρὰν διῳκισμένοις ... τῷ δὲ ἔνεστιν ἅμα τε τὴν Ἰταλίαν ὁρᾶν καὶ τὸν Βόσπορον ἐπιπολεῖσθαι, καὶ εἰ βουληθείη τὸν ὠκεανὸν καὶ τὸν Τίγρητα ὑπολαβεῖν ἅμα τῷ ὄμματι ἔχειν τὰς ἐσχατιὰς τῆς γῆς, οὐδὲν κωλύει*[1]).

Aristides autem aliis quoque nonnullis encomii locis bona pacis celebrat. Atque secundum rhetorum praecepta, quae tradit Menander III 377, 12: *πλήρεις δ' ἑορτῶν καὶ πανηγύρεων αἱ πόλεις* his verbis imperium Romanum praedicat (97): *καὶ γὰρ ὥσπερ πανηγυρίζουσα πᾶσα ἡ οἰκουμένη ...* 99. *ὥστε οἷον πῦρ ἱερὸν καὶ ἄσβεστον οὐ διαλείπει τὸ πανηγυρίζειν, ἀλλὰ περίεισιν ἄλλοτε εἰς ἄλλους, ἀεὶ δέ ἐστι πού*[2]).

Etiam *τὰς εὐδαιμονίας τῶν πόλεων* (Menand. III 377, 11) idem orator laudat (97): *ἡ οἰκουμένη ... εἰς δὲ κόσμον καὶ πάσας εὐφροσύνας τέτραπται σὺν ἐξουσίᾳ. καὶ ... μία δὲ αὕτη κατέχει πάσας* (sc. *τὰς πόλεις) ἔρις, ὅπως ὅτι καλλίστη καὶ ἡδίστη αὐτὴ ἑκάστη φανεῖται. πάντα δὲ μεστὰ γυμνασίων ...* 99. *πόλεις τε οὖν δή που λάμπουσιν αἴγλῃ καὶ χάριτι καὶ ἡ γῆ πᾶσα οἷον παράδεισος συγκεκόσμηται*, observans haec praecepta Menandri III 377, 26: *πλήρεις εἰκόνων αἱ πόλεις, αἱ μὲν πινάκων γραπτῶν, αἱ δέ που καὶ τιμιωτέρας ὕλης;* neque minus *εὐσέβειαν τὴν περὶ τὸ θεῖον* (377, 14) describit Aristides (103): *νόμοι τε ἐξεφάνησαν καὶ θεῶν βωμοὶ πίστιν ἔλαβον.*

Ad hanc pacis imperii Romani descriptionem denique pertinent cum eae Aristidis sententiae, quibus Romam bella iam non novisse (70) et omnium unam sine hostibus esse (85) exponit, tum haec

---

[1]) Conferas Agathiae epigr. I 74; 77 (hist. gr. min. II, p. 395 Dindorf).
74. *οὐκέτι μοι χῶρός τις ἀνέμβατος*
77. *ἀλλ' ἴθι νῦν ἀφύλακτος ὅλην ἤπειρον ὁδεύων.*
Versibus insequentibus (78—97) omnes eae terrae enumerantur, quas expedite peragrare licere poeta contendit.

[2]) Similia occurunt in Themistii laudibus Gratiani or. XIII 179 c: *τί ἂν τις τώδε ἐπονομάζοι τὼ αὐτοκράτορε ... λαμπρὰν τε εἰρήνην παρασχόντε ἐξ ἄκρας εἰς ἄκραν ... σφὼ δὲ διδόντε πανηγυρίζειν*, et apud Ps. Aristid. *εἰς βασιλέα* (or. XXXV 37): *νῦν καὶ πανηγύρεις φαιδρότεραι καὶ ἑορταὶ θεοφιλέστεραι· νῦν καὶ Δήμητρος πῦρ λαμπρότερον καὶ ἱερώτερον.*

verba (106): *ἀλλ' ἡνίκα ἂν ἡ ὑμετέρα προστασία τε καὶ ἀρχὴ καταστῇ, τότ' ἂν φάναι φθαρῆναι τὸ σιδηροῦν φῦλον ἐν τῇ γῇ, καὶ Δίκῃ δὴ καὶ Αἰδοῖ τότ' ἂν ἀποδοῦναι κάθοδον εἰς ἀνθρώπους, καὶ οἰκτεῖραι τοὺς πρό ὑμῶν γενομένους*[1]).

Quo enuntiato Aristides pacem, quae sub imperio Romano toti orbi terrarum est, cum aureo saeculo componit. Hanc autem dicendi rationem, quam apud poetas tritam fuisse constat[2]), in laudem Romanorum conferunt etiam Vergilius Augusti imperium celebrans (Aen. VI 792):

„Aurea condet
saecula qui rursus Latio regnata per arva
Saturno quondam",

idemque pacem, quam anno a. Chr. n. 39 venturam esse sperabant, praedicans (ecl. 4, 6):

„Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
iam nova progenies caelo demittitur alto."

et Calpurnius ecl. 1, 42:

„Aurea secura cum pace renascitur aetas
et redit ad terras tandem squalore situque
alma Themis posito iuvenemque beata sequuntur
saecula, maternis causam qui vicit Iulis.

54. Candida pax aderit.

---

[1]) Eos, qui imperium Romanum ignorent, quod aut extra id sedes habeant aut ante imperium conditum fuerint, miseratione dignos esse idem rhetor exprimit (99): *ὥστε μόνους ἄξιον εἶναι κατοικτεῖραι τοὺς ἔξω τῆς ὑμετέρας, εἴ τινές πού εἰσιν ἄρα, ἡγεμονίας, οἵων ἀγαθῶν στέρονται;* conferas quoque verba Callinici Petraei (supra p. 77 allata): *εἶναι ζημίαν, εἴ τις μὴ ταύτην θεάσαιτο ... ὅσοι μὴ ἀπείρατοι τῆς ἡμετέρας ἔμειναν, νόθον τινὰ βίον ... διαντλοῦσιν.*

[2]) Otto, Sprichwörter der Römer p. 46, 208 et Carolus Weyman: Arch. f. lat. Lex. XIII p. 265 permulta huius dictionis exempla afferunt. Ex verbis autem Senecae epist. 115, IV 13: „quod optimum videri volunt saeculum, aureum appellant" (sc. poetae), vel Taciti dial. 12: „felix illud et, ut more nostro loquar, aureum saeculum", luculenter apparet hanc locutionem proverbii vim habuisse. Conferas etiam Ernestum Graf: Ad aureae aetatis fabulam symbola, Leipz. St. VIII 1—84, ubi totius huius quaestionis historia tractatur.

63. Plena quies aderit, quae stricti nescia ferri
altera Saturni referet Latialia regna.

similia quoque invenimus apud Claudian. in Rufin. I 51:

„En aurea nascitur aetas,
en proles antiqua redit. Concordia, Virtus
cumque Fide Pietas alta cervice vagantur“,

qui poeta Horati vestigia premere videtur, apud quem legimus: (c. s. 57):

„iam Fides et Pax et Honor Pudorque
priscus et neglecta redire Virtus
audet, apparetque beata pleno
copia cornu.“ [1])

Sed iam huius totius quaestionis ad finem pervenimus. Verba illa, quae quondam praedixit Propertius III 1, 15: Conclusio

„Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent“

vera sunt probata. Neque enim solum poetae epici et declamatores, verum etiam lyrici, historici, philosophi breves vel verbosas laudes urbis et imperii Romani libris suis inserere non destiterunt. Atque ut non dicam de Aristidis uberrimo Romae encomio vel Vergili, Claudiani, Rutili magnis in honorem urbis digressionibus, etiam Ovidium, Propertium vel Ciceronem, Livium, Florum, Ammianum Marcellinum, Cassiodorum, permultos alios, Romam iterum ac saepius celebravisse cognovimus. Quibus in laudationibus licet

[1]) Quam aurei saeculi commemorationem in encomiis declamatoriis usitatam fuisse elucet ex his quoque locis: Paneg. Lat. IX 18, 5: „adeo, ut res est, aurea illa saecula, quae non diu quondam Saturno rege viguerunt, nunc aeternis auspiciis Iovis et Herculis renascuntur“, Symmach. Laudat. in Gratian. or. III 9: „et vere, si fas est praesagio futura conicere, iamdudum aureum saeculum currunt fusa Parcarum.“

Alios quoque nonnullos locos, quibus haec aurei aetatis dictio adhibita est, locis a Weymano, Ottone, in Thesauro linguae Latinae (sub voce „aureus“) allatis adicere liceat: Flor. I 47, 2. Symmach. or. IV 15. Coripp. Iust. I 185; id. Iust. III 78.

scriptores nonnumquam certa praecepta rhetorica secuti non sint, plerumque tamen locos communes adhibuerunt, qui aut in scholasticis encomiis urbium vel principum exculti aut a Vergilio, Horatio, Ovidio, aliis expressi in poetarum et rhetorum usum translati sunt. Nam certe rhetores et poetae alteri alteros in argumentis inveniendis adiuverunt nec solum hi illorum scrinia compilarunt, sed etiam rursus illis praebuerunt quibus doctrinam suam exornarent[1]).

Sed scriptores etsi verborum tumore atque pompa quid sentirent occultaverunt, quod periculum nemo fere scriptorum recentiorum sublimitatem orationis affectans effugit, persaepe tamen vera atque sincera elucet admiratio huius urbis imperiique singularis, qua nos ipsi quoque capimur, quotiens aut nos immergimus totos in litterarum rerumque populi Romani cognitionem aut oculis videmus, quaecumque ex saeculorum tempestatibus servata sunt urbis aeternae, ut hodie ex anima sententiam probemus:

„Sospes nemo potest immemor esse tui."

---

[1]) cf. Tacit. dial. 20: „Exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Vergilii et Lucani sacrario prolatus."

Index scriptorum.

Vita.

Natus sum Guilelmus Gernentz die XXX. mensis Aug. anni 1890 Gustroviae in oppido Megalopolitano patre Friderico, matre Maria e gente Buettner, quos in vivis esse gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae-lutheranae. Litterarum elementis imbutus frequentavi per novem annos gymnasium patriae meae. Anni vere 1909 maturitatis testimonio instructus, ut studiis philologicis et historicis operam darem, Gottingam migravi. Post duo semestria Monacum, inde Berolinum me contuli. Vere anni 1911 almam matrem Rostochiensem petii, ut studia mea philologica ad finem perducerem.

Docuerunt me viri doctissimi Gottingenses: Baumann Brandi, Bousset, Busolt, Husserl, Koerte, †Leo, Pohlenz, Wackernagel, Wendland; Monacenses: Crusius, Drerup, de Poehlmann, †Simonsfeld, Wolters; Berolinenses: Breysig, Diels, Hintze, Muensterberg, Norden, Roethe, Simmel, de Wilamowitz-Moellendorff, Woelfflin; Rostochienses: Bloch, Erhardt, Geffcken, Helm, Herbig, Kolbe, Meyer, Sommer, Ule.

Proseminarii philologici scholis interfui Gottingae et Berolini, in seminarium historicum me receperunt Brandi, Poehlmann, Kolbe, Bloch. Per ter senos menses seminarii Rostochiensis philologorum sodalis ordinarius fui moderantibus Geffckeno et Helmio.

Quibus praeceptoribus gratiam habeo quam maximam omnibus, imprimis vero Rudolfo Helm, qui ad hanc dissertationem componendam me excitavit benignissime neque me adiuvare umquam desiit.